UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01068489 2

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/antiquitatesprio00thom

ANTIQUITATES

PRIORATUS MAJORIS

MALVERNE

IN AGRO

WICCIENSI.

CUM

CHARTIS ORIGINALIBUS

EASDEM

ILLUSTRANTIBUS, ex REGISTRIS

SEDIS

Epiſcopalis Wigornienſis.

Nunc PRIMUM EDITIS.

LONDINI,

Apud J. OSBORN & T. LONGMAN. 1725.

BX
2596
M35T5

LIBRARY
JAN 29 1969
UNIVERSITY OF TORONTO

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino,

D. JOANNI,

Permiſſione Divina

Wigornienſi Epiſcopo,

Patrono ſuo colendiſſimo.

SUſcipe precor, Reverende Praeſul, ſingulari tua humanitate hoc quale quale opuſculum, grati animi ob tuos erga me immeritos favores teſ-

timonium publicum; quod ſi illud ſub ſplendore tui nominis in lucem prodire patiaris, debilem & languentem foetum quaſi clypeo defendes, & ſub tali Maecenate a malevolorum maledictis ſecurum reddes. Hae chartae ex tuis Regiſtris depromptae ſunt, & te Dominum jure agnoſcunt ſuum; continent inter alia controverſiam non minimam de jure viſitandi & confirmandi Priores Prioratus majoris Malverne, coenobii in veſtra dioeceſi amoene ſiti. Mota fuit haec lis inter quendam Ricardum Ware, Abbatem Weſt-

Weſtmonaſterienſem, & Reverendum Epiſcopum Godfridum Giffard, multis ab hinc annis praedeceſſorem tuum. Fuit ille acri ingenio, & elato animo defenſor Prioris foedis criminibus diffamati; hic vero priſtinae integritatis vir, & jurium ſedis ſuae epiſcopalis ſtrenuus aſſertor, & juſtiſſimus vindex: ab hujus parte ſteterunt Archiepiſcopus, & Pontifex Romanus; ex altera, Rex Edwardus, quo tandem interponente auctoritatem ſuam, Epiſcopus juri ſuo cedere cogebatur, manerio de Knytwike a priore & monachis

in compenſationem damni ſibi aſſignato. Fuit longo tempore hujus ſedis Antiſtes digniſſimus, ſcilicet ab anno MCCLXVIII. uſque ad annum MCCCI. ſuo ſeculo vir ſiquis alius excelſo atque invicto animo, eccleſiaeque bono ſemper intentus; ut in pluribus locis ſui Regiſtri (quo in Archivis veſtris nullum antiquius) plane apparet. Non enim ſolum inclaruit in defenſione jurium Epiſcopalium, ſed in ſuis publicis aedificiis, & in decorando domum Dei; marmoreae columellae majoribus columnis orientalis partis

tis eccleſiae tuae Cathedralis ab illo affixae, annulis ſuis aereis deauratis adhuc ſplendent. Apud Wykam, Kemeſeyam, & Wigorniam magnifica extruxit palatia, caſtrumque veſtrum Hartleburiae, a Domino Waltero de Cantelupo tempore Henrici tertii incoeptum, ab illo finitum fuit; obtenta prius licentia ab eodem rege, ſimul ac electus ad epiſcopatum fuit, viz. 8 Jun. 1268, illud perficere & munire. In his & aliis o quam tui ſimillimus! Tuum enim inclaruit nomen, cum apud Oxonienſes Magdalenenſis

Col-

Collegii jura contra papiſticas uſurpationes juſte & magnanime tuebaris, & nunc audis contra eaſdem firmiſſimum propugnaculum. Tu dum Lichfeldenſem epiſcopatum ſummo cum honore, ſumma cum lenitate regeres, caſtrum de Eccleſhall non modicis expenſis reparaſti, tuaque munificentia aſpicitur pulchrum; & quam cito laetus te accipiebat Wigornienſis clerus, caſtrum Hartleburienſe eleganter adornatum vidimus, palatiumque tuum Wigornienſe nova & auguſta decoratum fronte admirati ſumus. Sub tali Patrono

trono redivivi Monachi tutos ſe fore ſperant, pudefacti tergiverſationum ſuarum, & ad debitam revertentes obedientiam, veluti in proprio portu navigantes, ulteriores procellas non timent; neque aliunde majus praeſidium expectare poſſint, quam a te, Praeſul Reverende, qui ad eccleſiam, quam nactus es, ornandam omni ſtudio ac virtute totus incumbis. Ne nimis moleſtus ſim, ſolum addam, quod ſummum in votis meis faxit Omnipotens DEUS, ut cum Anteceſſore veſtro pleno fulgore epiſcopali diu eniteas Patriae

& Eccleſiae Decus & Co-
lumen,

Sic ſincere precatur DEUM

Paternitati tuae devotiſſimus,

GUL. THOMAS.



DESCRIPTIO
Ecclesiae Prioratus
Majoris Malverne.

ANtiqua eccleſia parochialis dedicata ſancto Thomae Apoſtolo ſita fuit non longe ab eccleſia prioratus, apud angulum occidentalem ad aquilonem cemiterii, & continebat in longitudine circa 90 pedes, & in latitudine 36. cum una parva capella ad auſtrum, quarum rudera nunc tantum viſuntur. Eccleſia prioratus adhuc conſpicitur in priſtina pulchritudine, excepta capella ſanctae Mariae ad eurum, & capella . . . ad latus auſtrale, quae ſolo aequatae ſunt. Conſtructa fuit in honorem ſanctae Mariae Virginis, & non multo poſt diſſolutionem prioratus, parochiani emerunt eam a Johanne Knotsford, pro modica pecuniae

ſumma, & exinde parochialis eccleſia fuerit. Continet in longitudine 171 pedes, in latitudine 63. & in altitudine navis totidem, coloratis & pictis feneſtris per totam mire decoratur; quarum ſequentem accipe aequo animo deſcriptionem.

In ſuperiori parte magnae orientalis feneſtrae in duodecim panellis ſunt duodecim apoſtoli, & inferius in ſedecim panellis quatuorq; lineis quidam particulares actus vitae Chriſti deſcribuntur.

In prima linea & prima panella Dominus ſedet ſuper pullum aſinae, in 2. celebrat paſcha cum diſcipulis ſuis, in 3. lavit eorum pedes, in 4. factus eſt in agonia, in 5. traditur a Juda, in 6. vinctus adducitur coram Pilato, in 7. mittitur ad Herodem, in 8. condemnatur.

In ſecunda linea, 1. amicitur purpurea veſte, & coronam de ſpinis geſtat, 2. flagellatur, 3. crucem bajulat, 4. eidem affixus eſt, 5. emittit ſpiritum, 6. tollitur de cruce, 7. ſepelitur, 8. ſepulchrum munitur, lapis ſignatur, & cuſtodia ponitur.

In tertia linea, 1. reſurgit a mortuis, 2. mulieres veniunt cum aromatibus, 3. apparet Mariae Magdalenae, 4. panella eſt fracta, 5. manifeſtat ſe ad mare Tyberiadis, 6. Diſcipulis euntibus Emaum, 7. aſcendit in coelo, 8. deſcendit Spiritus Sanctus.

In

In ultima linea hiſtoriolae vel perditae vel confuſae ſunt.

In alto chori ſunt ſex feneſtrae, in ſuperiori parte uniuſcujuſque quatuor panellae, & in inferiori totidem.

In prima ab oriente ſunt quaedam imagines ſanctorum, & in limbo *Orate pro anima domini Johannis Malverne, qui iſtam feneſtram fieri fecit.* Fuit hic prior hujus eccleſiae anno 1435. In ſecunda feneſtra ſunt etiam imagines ſanctorum; & in infima linea primae panellae duo ſunt monachi genibus flexis cum his ſubſcriptis verbis, *Orate pro animabus Johannis Weſt, & Thome Lye, monachis hujus loci.*

In ſequentibus ſunt generoſi cum uxoribus ſupplicantes, primus geſtat in ſcuto candido tres rotas Catherinenſes nigras, alter in clypeo nigro faſciam pinnatam albam. Et in imo . . . . *Thome Carter & Ricardi Oſeven & Agnete uxoris ejus, & Thome . . . . filii eorundem, cujus munera in iſta eccleſia . . . .*

In ſummitate tertiae feneſtrae ſunt inſignia abbatiae Weſtmonaſterienſis, & duo dimidiata ſcuta caerulea; in uno duae claves decuſſatim, una aurea, altera argentea; & in capite alterius indentato rubro, duae garbae aureae.

In prima feneſtra ab oriente ad latus auſtrale ſunt tres Magi cum muneribus ſuis,

Et ſuperius quadripartite arma Franciae & Angliae, inſignia Henrici ſeptimi; & ad ſiniſtram idem ſcutum cum tribus lemniſcis candidis, quod portabat Arthurus princeps Walliæ, filius ejus maximus.

In inferioribus panellis ſecundae feneſtrae adhuc apparent apoſtoli Petrus, Andreas, Jacobus, & Johannes; ſed ſancti in ſuperioribus fracti & confuſi ſunt. Haec autem inſignia remanent; a parte dextra, in ſcuto rubro faſcia inter ſex apodes merulas aureas; inſigne domini Bellocampi de Powyca. Et a ſiniſtra in clypeo candido crux rubra.

Tertia feneſtra nihil integrum exhibet, niſi unam parmam auream cum tigno rubro, & alteram rubram cum tigno, inter decem candidas cruces patentes, interpoſito, hoc ſcutum gentilitium domini de Berkeley, & illud domini Stafford.

Ex aquilonari parte navis eccleſiae ſunt in alto ſex feneſtrae, cum ſex panellis in unaquaq; in ſuperiori parte tres, & in inferiori totidem.

In tribus ſuperioribus primae feneſtrae a choro verſus occidentem Chriſtus aſpicitur crucifixus, a dextra ſanctus Johannes languentem ſuffulcit virginem, & a ſiniſtra centurio confitetur Jeſum vere eſſe filium Dei. In 1. inferiore panella cernitur S. Maria Salome, in 2. S. Maria Virgo, in

3. S.

3. S. Maria zelotes cum ſanctis Juda & Philippo in ulnis, & ſanctis Simone & Jacobo ad utrumque latus; in imo ſupplicant duo benefactores, & ſubſcribuntur haec verba: *Vos qui inſpicitis, animabus rememoretis P. Dene, nec non fratris Maculini.* Fuit ille prior anno Domini 1462, & hic 1503.

In ſecunda feneſtra ſunt ſuperius tres angeli, & inferius tres ſancti, ſcil. S. Laurentius, S. Georgius, S. Chriſtophorus; ad pedes uniuſcujuſq; haec verba: *Laetabor in miſericordia,* & in imo tres benefactores & eorum uxores, ſimul genibus flexis, & in tabardis eorum ſcutum familiae de Crofte, partitum per palum planum, & faſciam indentatam, caeruleum & candidum. In quadra prima leo aureus obverſo ore gradiens.

In tertia ſunt etiam tres angeli, & tres ſancti, S. Leodgarius, S. Elphegus, S. . . . cum eodem dicto: & in imo ſunt duo benefactores ſupplicantes, quorum militares veſtes his inſignibus adornantur; in clypeo argenteo tignum inter tria conchylia nigra, Littletoni arma, & in ſcuto aureo tignum rubrum cum quadra muris Armenii maculis reſperſa, Staffordiorum gentilitium deigma.

Sunt ſimiliter in quarta tres angeli, & tres ſancti, S. Wannardus, S. Martinus, S. Nicho-

S. Nicholaus, cum praecedenti epigraphe, & in imo benefactores; unus geſtans clypeum nigrum adornatum faſcia, inter tres pyras aureas, inſigne Besfordorum; & alter, faſciam auream in ſcuto coccineo, & duas calcarium ſtellulas in capite candicante, ingſine familiae de Braci, quae ſedem habuit apud Madresfeldam in vicinitate poſitam, quae per femellas hereditario jure deventa eſt ad Lygonos.

In quinta ſunt ſex ſancti; ſuperius S. Paulus, S. Johannes evangeliſta, S. Johannes baptiſta; inferius S. Marcus, S. Egidius, S. Leonardus, cum verbis ut antea, & benefactoribus ſupplicantibus.

Ultima etiam feneſtra exhibet in ſuperiori parte tres ſanctos, S. Andream, S. Jacobum, & S. Petrum; in inferiori vero tres ſanctas, S. Urſulam, S. Margaritam, & S. Katherinam; cum eodem dicto *Laetabor in miſericordia:* & in imo ſunt tres benefactores cum conjugibus ſupplicantes, his nominibus infraſcriptis; in prima panella *Ricardus Holker, & uxor ejus*; in ſecunda, *Ricardus Toillewak, & uxor ejus*; in tertia, *Ricardus Frewen, & uxor ejus.*

In auſtrali latere ſunt etiam ſex feneſtrae, ejuſdem formae & magnitudinis, in quibus depictae ſunt multae hiſtoriae Veteris Teſtamenti. In prima a choro feneſtra ſunt quinque lineae, & in

Linea prima, 1. Deus creat terram de nihilo, *Gen.* i. 1. 2. Facit ſolem, lunam, & ſtellas, *Gen.* i. 16. 3. Arbores & herbas virentes, *Gen.* i. 11.

Linea ſecunda, 1. Volatilia coeli & piſces maris, *Gen.* i. 20. 2. Jumenta, reptilia, & beſtias terrae, *Gen.* i. 24. 3. Hominem ad imaginem ſuam, *Gen.* i. 26.

Linea tertia, 1. Deus aedificat coſtam, quam tulerat de Adamo in mulierem, *Gen.* ii. 21, 23. 2. Arbor ſcientiae boni & mali, cum quinque pomis aureis, *Gen.* ii. 17. 3. Mulier a ſerpente decipitur, *Gen.* iii. 4, 5, 6.

Linea quarta, 1. Adamus & Eva abſcondunt ſe a facie Domini, *Gen.* iii. 8. 2. Ejecti ſunt de Paradiſo, *Gen.* iii. 24. 3. Adamus operatur terram, & Eva net, tenens ſuper genua infantem.

Linea quinta, ſedet Johannes Alcock, epiſcopus Wygornienſis in pontificali cathedra, & ante faciem haec verba: *Pontificem dominum preſento Johannem.* Et a tergo inſignia ejus; in ſcuto candido faſcia nigra, inter tria gallorum capita (a corpore vi diſtracta) ejuſdem coloris, at quibus criſtae & barbulae ſunt rubrae, & ſubſcribitur, *Orate pro bono ſtatu religioſi viri Johannis Alcock, epiſcopi Wygorn. cancellarii Angliae.*

In

In ſecunda feneſtra ſunt etiam quinque lineae.

Linea prima, 1. Deus dat mandatum Noae, ut faceret arcam, *Gen.* iv. 14. 2. Noah arcam facit, *Gen.* iv. 22. 3. Animantia eam ingrediuntur, *Gen.* vii. 8.

Linea ſecunda, 1. Noah & filii ingrediuntur eandem, *Gen.* vii. 7. 2. Emiſſa eſt columba, *Gen.* viii. 8. 3. Revertit columba portans in ore ſuo ramum olivae, *Gen.* viii. 11.

Linea tertia, 1. Noah aedificat altare Domino, *Gen.* viii. 20. 2. Offert holocauſta, *Gen.* viii. 21. 3. Plantat vineam, *Gen.* ix. 20.

Linea quarta, 1. Inebriatus nudus jacet in tabernaculo ſuo, *Gen.* ix. 21. 2. Sem & Japhet pallio impoſito verenda ejus operiunt, *Gen.* ix. 29. 3. Confuſio linguarum, & deſtructio Babelis, *Gen.* xi. 8.

Linea quinta, Benefactores ſupplicantes.

In tertia feneſtra,

Linea prima, 1. Dat Deus mandatum Abrahae, ut egrederetur de terra ſua, *Gen.* xii. 1. 2. Abrahamus obſecrat Saram, ut ſe dicat ſororem ejus, *Gen.* xii. 13. 3. Hoſpitio excipit tres angelos in convalle Mambre, *Gen.* xviii. 1.

Linea ſecunda, 1. Duo angeli ingrediuntur domum Lot, *Gen* xix. 1. 2. Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur

phur & ignem, *Gen.* xix. 24. 3. Abrahamus immolaturus filium ſuum, *Gen.* xxii. 10.

Linea tertia, 1. Iſaac introducit Rebeccam in tabernaculum Sarae, *Gen.* xxiv. 67. 2. Sarah moritur, *Gen.* xxiii. 2. 3. Iſaacus venatum mittit filium ſuum Eſavum, *Gen.* xxvii. 1.

Linea quarta, 1. Parat Rebecca cibos ſapidos. 2. Mittit Jacobum cum eis, *Gen.* xxvii. 3. Venit Eſavus cum coctis de venatione ſua cibis, *Gen.* xxvii. 30.

Linea quinta, Iterum benefactores ſupplicantes.

In quarta feneſtra,

Linea prima, 1. Somniat Joſephus de manipulis in agro, & de ſole, luna, & undecim ſtellis, *Gen.* xxxvii. 9. 2. Fracta & confuſa. 3. In ciſterna veteri projicitur, *Gen.* xxxvii. 24.

Linea ſecunda, 1. Venditus eſt Iſmaelitis, *Gen.* xxxvii. 28. 2. Iterum venditus Putipharo eunucho Pharaonis. 3. Solicitatus eſt ad dormiendum cum domina ſua, *Gen.* xxxix. 12.

Linea tertia, 1. Pincerna & piſtor Pharaonis mittuntur in carcerem, quibus narrat Joſephus ſomnia ſua, *Gen.* xl. 3. 2. Somniat Pharaoh de ſeptem bobus, & de ſeptem ſpicis, *Gen.* xli. 2, 5. 3. Eductus eſt Joſephus

phus de carcere, ut indicaret Pharaoni ſomnia ſua, *Gen.* xli. 14.

Linea quarta, 1. Joſephus conſtituitur ſuper univerſam terram AEgypti, *Gen.* xli. 41. 2. Veniunt fratres ſui, ut emerent frumenta, *Gen.* xlii. 3. 3. Benedicit Jacob Pharaoni, *Gen.* xlvii. 10.

Linea quinta, Benefactores humiliter orantes.

In quinta feneſtra,

Linea prima, 1. Puella filiae Pharaonis adducit Moyſen in arca, *Exod.* ii. 5. 2. Adoptatus eſt a filiâ Pharaonis, *v.* 10. 3. Ardentem rubum admiratur, *Ex.* iii. 2.

Linea ſecunda, 1. Pharaoh cum toto exercitu involutus mediis fluctibus cooperitur iiſdem, *Ex.* xiv. 28. 2. Sumit Moyſes de ſenioribus Iſrael, & vadit ad petram Horeb, *Ex.* xvii. 5. 3. Percutit petram, & aquae effluunt, *Ex.* xvii. 6.

Linea tertia, 1. Pluitur de coelo Manna, *Ex.* xvi. 4. 2. Conflatur vitulus aureus, *Ex.* xxxii. 4. 3. Aquae de Mara in dulcedinem verſae ſunt, *Ex.* xv. 25.

Linea quarta, 1. Duae tabulae, in quibus decem foederis verba, *Ex.* xxxiv. 28. 2. Facit Moyſes ſerpentem aeneum, *Num.* xxi. 9. 3. Miriam ſanatur a lepra ſua, *Num.* xii.

Linea quinta, Benefactores, ut prius.

Nihil

Nihil remanet in ſexta & ultima feneſtra, niſi Aaron in veſtibus ſacerdotalibus, & Moyſes cum facie glorificata, *Ex.* xxxiv.35.

In magna occidentali feneſtra ſunt panellae quatuordecim, in ſuperioribus viſitur Chriſtus cum ſuis diſcipulis veniens in nubibus judicare mundum, inferius hic ſurgunt mortui, & aperit coelum Petrus, & inde detruduntur maledicti in infernum. In infimis ſeptem panellis Maria virgo, & plurimi Sancti cum palmarum ramis in manibus adhuc conſpiciuntur, ſed in pluribus locis fracti & tranſpoſiti. Benefactorem habuit haec feneſtra Ricardum tertium, ut inſignia ſua manifeſtant: arma ſcilicet Franciae & Angliae quadripartite, ſine differentia, cum duobus apris argenteis ea ſuſtentantibus, & corona ducali. In oppoſito latere ſunt etiam inſignia uxoris ejus, Annae filiae & cohaeredis Ricardi comitis Warwici & Salisburiae. Clypeus in quatuor partes ſectus eſt, in prima ſcutum ſanguineum cum faſcia aurea inter ſex cruces cruciatas ejuſdem coloris adornatum; in ſecunda, tres cantherii rubri in parma aurea; in tertia, ſcutum quadripartitum, primum & quartum candidum, ſecundum & tertium, rubrum, Heraldorum nodo amatorio aureo, & taenia obliqua nigra decoratum; in quarta, ſcutum teſſellatum de auro & caeruleo cum tigno macu-

lis

lis Armenii muris reſperſo. Haec ſunt per palum unita clypeo miniato, decuſſi candida inſignito, ſuſtentanturque a duobus urſis albis, & cooperiuntur corona ducissae.

A ſuperioribus ad inferiores deſcendamus, quae olim pulchre adornatae fuere, ſed injuriam temporis plurimum paſſae ſunt. In orientali feneſtra alae borealis ſunt tres panellae; in prima cernitur Maria virgo, in ſecunda ſacerdos miſſam dicens, in tertia S. Johannes. Sub Virgine ſunt duo milites ſupplicantes, unus geſtat inter quatuor virginum capita crucem miniatam in ſcuto nigro; alter ſcutum quadripartitum. Primus & quartus quadrans albus aureo ſole inſignitur, ſecundus & tertius niger tribus gruibus candidis decoratur; quibus unitum eſt ſcutum viride, habens ſuper decuſſim argenteam ingrediatam, inter quatuor cruciculas aureas cruciatas, & in imo ſpiculatas, lilii florem; & ſubtus, *Orate pro animabus Ricardi Knight militis, & Nycholai Devenyſhe armigeri.* Sub ſacerdote ſunt haec verba: *Orate pro animabus domini Johannis Prioris, & Agnetis Leach*; & ſub ſancto Johanne depicti ſunt duo ſupplicantes cum hac ſubſcriptione: *Orate pro animabus Willielmi Harnis, & Roberti Hille.*

Ex aquilonari latere chori ſunt tres feneſtrae unaquaeque quatuor panellis diſtincta; in

in prima ab oriente fuere olim quatuor doctores eccleſiae Occidentalis, & ad ſingulorum pedes Willielmus Braci, veſte militari & aureo torque decoratus; ſed nunc non apparent. In ſuperiori vero parte adhuc ſplendent inſignia gentilitia ejuſdem, ſcilicet in clypeo rubro faſcia aurea cum duabus calcarium ſtellulis in capite candicante, idem quadripartite cum ſcuto teſſellato de auro & caeruleo, & iterum cum clypeo argenteo nigris clathris ſuper pictis, iterumque cum baltheo humerali aureo duplici faſciola indentata rubri coloris adornato, in parma viridi. Sunt etiam per palum unita, ſcuto in quatuor partes caeruleas viciſſim & albas lineis indentatis ad crucis modum ductis, ſecto; & in alia panella eodem modo uniuntur cum cruce argentea undique ingrediente campum caeruleum. In infima hujus feneſtrae linea fuere quondam imagines benefactorum ſupplicantium, in prima panella pictura generoſae cum duobus filiis & hac ſubſcriptione: *Orate pro animabus Johanne Braci, Willielmi, & Thome, filiorum ejus.* In ſecunda generoſi cum uxore, & his verbis: *Orate pro animabus Willielmi Braci, & Iſabelle uxoris ejus.* In tertia ejuſdem, cum alia uxore &, *Orate pro animabus Willielmi Braci, & Johanne uxoris ejus*; ſed haec edacis injuria temporis amplius non exſtant.

In

In quarta vero panella armatus adhuc viſitur cum ſago armis ſuis inſignito; & a tergo uxor ejus mento focali involuto, dignitatis teſſera, utpote orta a nobili Warrenorum familia; cum his verbis: *Orate - - - - - - - Willielmi de Braci, & Agnetis uxoris ejus.*

In ſuperiori parte ſecundae feneſtrae ſunt haec inſignia; unum ſcutum aureis & caeruleis teſſellarum ductibus diſtinctum, cum tribus flavis leonibus incedentibus, & ora obvertentibus in balthco humerali rubro impreſſis. Alterum argenteum tribus lunulis nigris, cornibus ſurſum verſis adornatum, & inferius in prima panella ſunt in parma rubrâ, alae aureae binae expanſae ſimul & unitae, interiorem ſuam partem obvertentes, & apices ſuas deorſum poſitas exhibentes. In ſecunda & tertia; in campo ſanguineo taenia obliqua candida in dextra parte merula nigra inſignita; per palum unitur tribus lunulis nigris in ſolo albo, iterum ſcutum nigrum cum aquila alba bicipite expanſa, & fimbria ejuſdem coloris ingrediata. In quarta panella ſcutum teſſellatum, ut antea, unitum quadripartite tribus praecedentibus.

Sub his nullae nunc remanent figurae, tempore vero Thomae Abingdoni arm. antiquarii noſtri Wigornienſis fuere in ſecunda panella generoſus cum uxore ejus, & uno

uno ſilio; ſub illo, *Credo quod Redemptor*; ſub illa, *In noviſſimo die de terra ſurrectura ſum*; in imo, *Orate pro animabus Henrici Clyfford, Seneſcalli de Longeney, & Elizabethe uxoris ejus, & Jacobi Clyfford arm. filii eorundem, & animabus parentum ac benefactorum eorundem.*

Tertia feneſtra adornata fuit cum 12 prophetis, & 12 apoſtolis totidem ſymboli articulis in medio poſitis, ſed nunc ſunt pluribus in locis vel fracti, vel confuſi, vel deperditi.

In orientali feneſtra alae auſtralis nihil eſt notatu dignum, niſi inſigne gentilitium de Bello Campo, in ſcuto ſanguineo faſcia aurea inter ſex cruciculas ejuſdem coloris brachiatas; idemque quadripartite unitum cum tigno muris Armenii maculis reſperſo in ſcuto ductibus aureis & caeruleis teſſellato, iterumque per palum unitum clypeo in quaternas partes per perpendiculum & diametrum diſtincto, prima & quarta argentea, ſecunda & tertia rubra, aureis bacillis reticulata, & taeniola obliqua nigra ſuperimpoſita, deigma Iſabellae ſororis & haeredis Ricardi Spencer com. Glouc. cujus jure, Malverniae Chacea, & caſtrum de Hanleia ad Ricardum de Bello Campo com. Warwicenſem, maritum ſuum ſecundum, inter alia devenere.

In prima ab hinc feneſtra remanent haec inſignia: in ſcuto argenteo baltheus humeralis niger, cui imprimuntur tres calcarium ſtellulae aureae. In alio ſcuto de auro tignum muris Armenii vellere impreſſum, inter tria taurorum nigra ora interpoſitum. In tertio, per palum bipartito de argento & minio, ſuper taeniam obliquam nigram tres calcarium ſtellulae aureae. De figuris remanent ſolae illae quae ſunt in quarta panella, homo cum decem filiis, & uxor ejus cum octo filiabus, his ſubſcriptis verbis: *Orate pro animabus Walteri Corbet, & Johanne uxoris ejus.* Et inferius ad muri latus jacet armata ſtatua tenens in manu dexra bipennem, in ſiniſtra clypeum rotundum; & dicitur repraeſentare Johannem Corbet ſupradictum hic tumulatum.

In ſummitate ſecundae feneſtrae ſunt ſcuta quatuor, primum ſexies auro & cyano faſciatum, habet in ſummitate ſua coloris primi tres palos inter duas normas (dextram ſcilicet & ſiniſtram) tincturae ſecundae exaratos: umbilico itidem ſcuti aliud ſcutellum imponitur argenteum. Hoc unitum eſt alio ſcuto nunc fracto; e caſſide emergunt plumae per palum partitae, candidae & nigrae; amicitur denique parma mantelio de minio, cujus duplicatio eſt de argento. Secundum eſt cyaneum, aurea ſplendens cruce. Tertium ſanguineum, cum taenia obliqua candida

candida annulo nigro inſignita, unitum per palum cum antecedente. Quartum argenteum cum duplici taenia obliqua variata ex pellibus rubris & praſinis, unitum ſcuto candido geſtiens in cruce nigra leopardi caput aureum, & in dextra quadra reticulum miniatum. Sub his fuere imagines S. Laurentii, S. Nicholai, S. Stephani, & S. Egidii, & ſub prima & ſecunda generoſus ſuppliciter dicens, *Chriſte nos adjuva*, & uxor ejus reſpondens, *per Laurentii Nicholaique merita*; his nominibus infra ſcriptis, quae adhuc reſtant, *Willielmus Walwein & Jana uxor ejus*. In quarta panella nunc etiam viſitur religioſus ſupplicans his verbis, *Deus ſit nobis propitius*, & laicus reſpondens, *Stephani Egidiique precibus*, & in inferiore parte feneſtrae: *Omnes vos qui ituri eſtis iſtam per feneſtellam, pro animabus orate noſtris, ut det Deus* . . . .

In tertia & ultima feneſtra fuere quondam quatuor ſanctorum picturae, ſed quorum ignoratur. Unumque tantum reſtat ſcutum, in quatuor partes diviſum; in prima clypeus per faſciam dentatam partitus de caeruleo & albo in quadra, angulari dextra leo aureus obverſo ore erectus. In ſecunda tres candidi leones inſurgentes in ſcuto rubro. In tertia tres iterum candidi leones in ſcuto per palum diviſo, ſanguineo & cyaneo. Quarta eſt fracta, ſed remanent in area ſumma mi-

* C niata

niata tria capita cervina aurea. Deſcendens hinc ad latus auſtrale navis eccleſiae, ubi fuit olim oſtium ad clauſtra ducens, cernitur in parvula feneſtella inſigne de Braci, & in ſuperiori parte ejuſdem, monachus genuflexus, & a tergo cum variis figuris immundi ſpiritus. In inferiore evomit infernus infantem, quem recepturi ſunt multi daemones; & ad latus angelus pro eo ſupplicans. Ab hinc ad terminum occidentalem ſunt quinque parvae feneſtræ, & in ſingulis tres panellae. In prima ſunt angelus, archangelus, & cherubinus. In ſecunda, S. Georgius, S. Sebaſtianus, S. Vincentius. In tertia S. Martinus, S. -- S. Wulſtanus. In quarta feneſtra S. Egidius, S. --- S. Leonardus, & ſub his in unaquaque feneſtra ſubſcribitur: *Orate pro anima Maculini ſupprioris hujus loci.* In ultima ſunt S. Katherina, S. Maria Magdalena, S. Margarita; cum his verbis: *Orate pro anima Ricardi Freven prioris hujus loci.*

Tranſiens hinc ad alam ſeptemtrionalem, in quinque feneſtris repraeſentantur variae hiſtoriae Novi Teſtamenti. In ſingulis feneſtris fuere hiſtoriolæ duodecim.

In prima ab oriente ſunt deſponſatio Joachimi & Annae, angelus aureus Annae dicens, *Cum veneris ad portam auream virum tuum obvium habebis*: angelus apparens Joachimo, Joachimus & Anna ſedentes pariter; caeterae perditae ſunt.

In ſecunda feneſtrá angelus venit ad virginem Mariam; Maria ſalutat Elizabetham. Natus eſt Chriſtus. Praeſentatur in templo. Magi de eo interrogant. Adorant & offerunt munera. Revertunt in regionem ſuam. Angelus apparet Joſepho in ſomnis, & admonet ut in AEgyptum fugeret. Secedunt Joſephus & Maria in AEgyptum. Herodes occidit pueros. - - - - - A Johanne baptizatur Chriſtus. In tertia, vocatus ad nuptias in Cana Galilaeae de aqua vinum facit, paralyticum ſanat, daemonia ejicit, tentatur a diabolo, ſtatuitur ſuper pinnam templi, ductus eſt in montem excelſum, & oſtenduntur illi omnia regna terrae. Hic etiam viſitur piſcina cognominata Betheſda, ſed caeterae deſiderantur.

In quarta Chriſtus ambulat ſuper mare, ejicit daemonia, lutum facit, aperitque cum eo caeci oculos. Ad ejus mandatum demittit febris ſocrum Petri. Mulier ſanatur a profluvio ſanguinis, infirmi variis languoribus curantur; reliquae figurae fractae ſunt.

In quinta & ultima nihil remanet niſi crucifixio Domini. Ex hac ala aſcenditur ad capellam ſancti Jeſu, in qua ſunt duae tantum feneſtrae; in magna ad boream ſunt duodecim panellae, ſex ſuperiores, & ſex inferiores.

In ſuperioribus repraeſentantur in circulo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, capiti Ma-

riae Virginis coronam imponentes, extra ſunt angelorum chori cum ſanctis in coelo variis inſtrumentis laudantes Deum. In caeteris hic recipitur Chriſtus in coelos, illic Michael pugnat cum diabolo; hic Salvator apprehendit manum Adami orantis cum Eva in medio infernorum Spirituum, & ducit ab infimo; illic fractae & confuſae ſunt. Ejusdem fortunae participant ſex inferiores panellae, quae non multis ab hinc annis a turbinoſo vento e locis ſuis ejectae & plurimum fractae, neglecto priſtino ordine reponebantur. Sed tempore Thom. Abingdoni arm. in illis depicti fuere Henricus VII. armatus, corona imperiali cinctus, & ſuper exteriorem veſtem quadripartitim inſignia Franciae & Angliae; a tergo Elizabetha regina ejus, & ſuper mantella eadem arma; poſt illam Arthurus princeps Walliae ſimul armatus, & ſagum ejus iisdem inſignibus decoratum, addito lemniſco triplici argenteo: huic ſucceſſit Reginaldus Bray miles, in proſperis & adverſis regi ſuo ſemper fidelis, geſtans in clypeo candido tignum inter tria nigra aquilarum vi diſtracta crura, huncque ſecutus eſt Johannes Savage arm. palum fuſillatum nigrum in parma argentea gerens; & poſtremo omnium Thomas Lovell arm. unus ex conſiliariis ejuſdem regis, cum ſcuto gentilitio candido, tigno inter tres ſciuros miniatos inſignito. Hi omnes

genibus

genibus flexis palmiſque ad coelum erectis pro miſericordia ſupplicabant Deum, & infra ſcriptum fuit: *Orate pro bono ſtatu nobiliſſimi & excellentiſſimi regis Henrici ſeptimi, & Elizabethe regine, ac domini Arthuri principis filii eorundem, nec non prediléctiſſime conſortis ſue, & ſuorum trium militum.*

Una tantum reſtat feneſtra ad occidentale latus hujuſce capellae, in qua duo ſunt ſcuta, unum variatum ex pellibus aureis & caeruleis: alterum ex albis & caeruleis. Sub his in ſuperiori parte feneſtrae depicta eſt Trinitas, cum elevatione hoſtiae; & infra baptizatio adultorum & infantium.

In inferiore parte iterum Trinitas cum his verbis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Et ſub his papa cum cardinalibus ſuis & iſto dicto Salvatoris: *Parata ſunt vobis loca in coelo.* In media panella Dominus comedit paſcha, & in tertia ſunt villa & eccleſia de Malverne, & capella ſancti Michaelis in latere montis ſita; & in auſtrali angulo ſagittarius in chacea cervam toxicaturus. Sub his in infima linea ſunt prior & monachus, & a duobus lateribus hinc parentes prioris, illinc monachi omnibus genuflexis cum his verbis: *Letabor in miſericordia*, & ſubſcripto: *Orate pro animabus domini Ricardi Bone prioris hujus loci & Maculini - - - Simonis, Nicholai, Agnetis*

Agnetis, Willielmi, Mariane, parentum eorundem.

Rediens in eccleſiam, aream chori & parietes ejuſdem cum illis magni altaris invenies coctis lateritiis quadris decoratas, in quibus depicta ſunt inſignia regni Angliae, abbatiae Weſtmonaſterienſis, Mortuomariorum comitum Marchiae, Bohunorum comitum Herefordiae, Clarorum Spenſerorumque comitum Gloceſtriae, Bellocamporumque comitum Warwici & baronum de Powyka. Data in quadris altaris *Anno Dom.* 1453, in illis parietum chori *Anno r. H.* VI. XXXVI.

Hic etiam ſequentia leguntur epitaphia.

HERE LYETHE THE BODYE OF PENELOPE, THE WIFE OF ROBERT WALWEYN, OF NEULANDE, GENTEL. THE DAUGHTER OF RICHARD LIGON OF MADERSFYELDE ESQUIRE, THE SONNE OF WILLIAM LIGON ESQUIRE, SONNE OF Sr. RICHARD LIGON KNIGHT, SONNE OF THOMAS LIGON ESQUIRE, & ANNE HIS WIFE, ONE OF THE DAUGHTERS OF THE LORDE BEAWCHAMPE. HER MOTHER WAS MARYE THE DAUGHTER OF Sr. THOMAS RUSSEL OF STRENSHAM KNYGHTE.

KNYGHTE. OBIIT. 13. JANUARII 1596.

Haec inſcriptio eſt ad latus boreale magni altaris, circumcirca tumularem lapidem, qui quondam ſtetit ubi nunc eſt menſa Dominica, & tunc tumba, adornata fuit his inſignibus; ad caput, cum ſcuto ſanguineo, talbotto aureo ſuper taeniam obliquam intra limbum muris Armenii vellere aſperſam decorato, & pro differentia, ſtellula lunula impreſſa; hoc per palum unitum fuit duobus rubris leonibus caudis bifidis in candido campo gradientibus. Ad latus dextrum fuere ſymbola tria, primum coccineum faſcia alba inter tres delphines ejuſdem coloris inſignitum. Secundum aureum, habens tres catharinenſes rotas ejuſdem coloris, ſuper baltheum humeralem puniceum impreſſas. Tertium, quindecim diverſa inſignia in unum ſcutum digeſta continebat. 1. Fuit de argento, cum duobus rubris leonibus, caudis bifidis gradientibus. 2. De minio faſcia aurea, & duabus calcarium ſtellulis in albo capite, adornatum. 3. De caeruleo, inſignitum taenia obliqua aurea rubore vero evacuata, & tribus ſtellulis ejuſdem coloris cum taenia impreſſis. 4. De argento, reticulatum de coccineo. 5. De auro, cum cruce ſanguinea, quadratim perforata de colore ſcuti. 6. De puniceo, cum tribus

tribus albis leonibus gradientibus. 7. De eodem, cum faſcia aurea inter ſex merulas ejuſdem coloris. 8. Fuit ad perpendiculum bipartitum de rubro & auro, & tribus globulis e praedictis coloribus viciſſim commutatis inſignitum. 9. De argento, cum faſcia caerulea tribus liliis aureis decorata. 10. De eodem cum taenia obliqua miniata inter ſex merulas ejuſdem coloris. 11. Fuit etiam de argento, cum leone erecto faſciatim diviſo de rubro & nigro. 12. De auro, cum heraldico veri amoris nodo molochino. 13. De nigro inſignitum cruce, intra limbum aureum, globulis atris aſperſa. 14. De auro, expanſum falconem viridem inter lilia fuſca oſtendens. 15. Et ultimum fuit de argento, exhibens tignum caeruleum inter tres garbas, ad perpendiculum partitas, de auro & praſino, quo ultimo & ligatae ſunt. Ex altero latere tria etiam fuere ſymbola. 1. Sanguineum, tigno muris Armenii vellere reſperſo inter tria conchylia candida inſignitum. 2. Fuit de eodem, cum faſcia duplici ductu ex auro & caeruleo teſſellata, & in capite lunula adornatum. 3. Quatuordecim ſcuta in unum congeſta continebat. 1. Argenteum tigno inter tres cruces nigras cruciatas gemmatas ſpiculataſque exaratum. 2. Ejuſdem fuit coloris, inſignitum plinthidibus undique ſparſis, & leone erecto nigro cum

corona

çorona aurea & falculis ſanguineis. 3. Sanguineum cum cruce decuſſata candida intra nigrum limbum ſtellulis aureis reſperſum. 4. Candidum, in quo tres caerulei piſces natavere. 5. Exhibebat duos cyaneos leones in campo aureo gradientes. 6. Fuit miniatum, flavo leone erecto decoratum. 7. Aureum, cruce ingrediata ſanguinea impreſſum. 8. Rubrum tribus aureis garbis ſplendens. 9. Caeruleum, albo lupino capite collum lacero adornatum. 10. Fuit ſexies undulatim faſciatum de argento & minio, cum tribus byſantiis ſuper taeniam obliquam nigram impreſſis. 11. Candidum, tribus globulis aureis ſuper baltheum humeralem rubrum adornatum. 12. Ejuſdem cum praecedente coloris, tribuſque quinque foliis aureis ſuper taeniam obliquam caeruleum exaratis. 13. Similiter album, cum tribus ſtellulis ejuſdem coloris ſuper diagonalem taeniam ingrediatam nigram, & duabus hinc inde taeniolis comitatam. 14. Et ultimum fuit ſanguineum, argenteo enſe cum capula aurea ad modum faſciae locato inter caſſidem coloris ſecundi, & duas garbas tertii, decoratum.

Ex oppoſito latere magni altaris viſitur ſepulcrum Johannis Knotſeford armigeri, & Janae uxoris ejus, quorum cumbentes ſtatuae ex alabaſtro factae ſunt, & ad pedes eorum inſignia; ſcutum ſcilicet fuſcum annulo ejuſ-

dem coloris ſuper crucem ingrediatam argenteam exaratum, unitumque cum altero de aureo tribus minutis palis miniatis inſignito, & ſubſcripto:

Here Lyeth the bodye of John Knotſeford Eſquire, Servant to Kynge Henry the eyght, and Jane his wife, Daughter to Sr Richard Knightley Knt. who being marryed to Mr. William Lumley had iſſue, John Lord Lumley, and by John Knotſeford had 5 daughters and coheyrs. HE DYED IN THE YEARE 1589. NOVEM. 23.

Ad dextrale latus hujus cippi relevatae ſunt figurae Mariae & Elianorae filiarum eorundem, haec uxor Johannis Campion arm. & illa Thomae Price de Manaty arm. ad ſiniſtrale latus filiarum Elizabethae uxoris Gul. Ridgley arm. & Franceſcae uxoris Thomae Kyrle de Marde, qui portat ſcutum caeruleum tigno aureo inter tria lilia ejuſdem coloris inſignitum, unitumque per palum deigmati gentilitio de Knotſeford.

Ad caput cernitur Anna filia eorum natu maxima cum ſcuto albo ſex leônibus nigris inſignito, unitoque per palum clypeo de Knotſeford, & ſub his: *Anne married William Savage of Elmley Eſquire, Father to Sir John Savage Knight.*

Super pavimentum multi ſunt tumulares lapides, & in primo legitur haec inſcriptio:

Here

Here lies Frances the Daughter of John Skinner of Sheffeild in the County of Warwick Eſqr. and the widow of Robert Gower of Colemers Eſqr. by whom he had iſſue John and Margaret. John married Mary the Daughter of William Fitzherbert of Norbury in the County of Darby Eſqr. and Margaret married Thomas Hornyold of Blackmore Park Eſq. She died the 15th Day of November, Anno Dom. 1668.

Hic lapis inſignitur tigno inter tria gryphorum capita a collo vi avulſa. Et proximus exhibet ſex leones, Savagiorum ſcutum per palum unitum; altero in quatuor partes ſecto, 1. & 2. geſtantes ſuper taeniam obliquam tres ſtellulas, 2. & 3. faſciam undulatam inter ſex plinthides, cum hac inſcriptione :

Siſte, Hoſpes, pauliſper,
Moræ pretium erit te ſcire quæ fæmina ſit hic ſepulta ;
Subtus depoſitæ jacent exuviæ
Katherinæ,
Richardi Daſton de Wormington in Agro Glouceſtrienſi
Genere Armigeri, Facultatis gradu Juridici purpurati,
Filiæ familia ſua dignæ,
Ægidii Savage de Elmley-Caſtle in Agro Vigornienſi
Armigeri, ex equeſtri ordine oriundi,
Conjugis æque amantis ac redamatæ.
Quæ viro ſuo ſuperſtes,
Quo melius Chriſto ſoli ſponſo cœleſti nuberet,
Viduam annos quadraginta ſe continuit.
Eadem in rebus
Domeſticis provida ceu Salomonis mater familias illa,
Eleemoſynariis larga, quaſi Dorcas altera:
Divinis pia velut Anna ipſa.
In Amicos, Familiares, vicinos, Advenas, Omnes
Amænitate morum ſuavi prædita.
Mortalitatem exuit, immortalitatem induit
(Die anno longiſſimo in æternitatem tranſlato)
Menſis Junii 11°
Anno Chriſti 1674
Ætatis ſuæ 84
Effigiem habet Elmley ſupramemorata
(una cum Conjugis proliſq; ſculptilibus)
Cœlum animam,
Sepulchrum Corpus,
Exemplum ſuperſtites ac poſteri,
δι' ἧς ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται.
Dat mundus famam virtuti, dat pietati
Aureolam cœlum, vivit utroq; loco.

Tertius

Tertius lapis habet Lygonorum inſignia, ſc. duos leones unitum ſcuto Corbynorum, in capite geſtans tres corvos, inſcripto:

MARGARET *late wife of* WILLIAM LYGON Eſqr. *And only child of* THOMAS CORBYN Eſqr. *Obiit* 21. *Oct* 1699 *Ætatis* 42.

Super quartum ſunt eadem inſignia per palum unita ſcuto tribus cervorum adultis cornibus adornato. Scutum gentilitium Coxiorum:

William Lygon Junr. of Madresfeild Eſq; obiit 4th September 1716. *Ætatis* 26.

Super quintum haec eſt inſcriptio:

Here lies the Body of William Lygon of Madresfield Eſqr. who departed this Life the 16*th day of March, Anno D.* 1720. *Ætatis ſuæ* 79.

Circumcirca exteriorem limbum ſexti:

Hic

Hic jacet Maria uxor Gulielmi Ligon de Madresfield Armigeri, filia Franciſci Egiocke de Egiocke militis, & cohæres fratris. Obiit Decimo Novembris 1668. *Ætatis ſuæ* 59.

In ſuperiore parte lapidis eſt ſcutum Lygonorum unitum duobus quinquefoliis in capite, & uno lilio in imo, poſitis verſibus his ſubſcriptis :

Stay Paſſenger, & from this duſty Urne,
Both what I was, & what thou muſt be, learne.
Grace, Virtue, Beauty, had no privilidge,
That everlaſting Statute to abrige,
That all muſt dye ; then gentle friend with care
In life for death and happineſs prepare.

Flebilis hoc poſuit thalami conſors.
Mortuus eſt Januarii 29. 1680
Ætatis ſexageſimo octavo.

Septimus lapis exhibet inſigne Lygonorum unitum tigno inter tres cruces crucitas, quorum inferiores partes ſunt ſpiculatae :

To

To the dear memory of Richard Lygon of Madresfield in the County of Worceſter Eſqr. who departed this mortal life April 15th 1687. in the 49th year of his age. Anne his ſorrowful wife, eldeſt daughter to Sr Francis Ruſſell of the ſame County Baronet, dedicates this.

Ultimus in hac ſuprema parte chori habet hanc inſcriptionem :

Here Reſteth the Body of Elizabeth the wife of John Wallſam Eſqr. And Daughter to Wm. Ligon Eſqr. who departed this tranſitory life the 12th Day of April, Anno Dom. 1674.

In inferiori parte chori humi jacent undecim tumulares lapides cum his inſcriptionibus :

Johannes Daſtonus Generoſus
Hic Incineratus
Occubuit primo die Februarii
Anno { *Ætatis* 70mo
Salutis 1663.

Inſignitur

Inſignitur hic lapis ſcuto in quatuor partes ſecto, 1. & 4. geſtantes ſuper taeniam obliquam tres ſtellulas, 2. & 3. faſciam undulatam inter ſex plinthides.

2. *Here lieth the Body of John Wodehouſe Eſqr. third ſon of Sr Philip Wodehouſe of Kemberly in the County of Norfolk Baronet, who departed this Life the 26th of June, Anno Dni.* 1718. *Aged* 62 *Years.*

Geſtat ſuper tignum quinque guttas inter tria quinquefolia muris Armenii maculis reſperſa.

3. *Here lieth the Body of Richard the eldeſt ſon of Richard Reed of Lugwardine in the County of Hereford Eſqr. & Mary his wife eldeſt Daughter of Thomas Savage Eſqr. of Great Malvern in Worceſterſhire, who died the* 13 *of Auguſt,* 1698.

4. *John Dickins of Bobinton in the County of Stafford Eſquire was here buried the* 25*th of April,* 1656. *Aged* 78. *& 6 months.*

Hujus

Hujus parma muris Armenii maculis eſt reſperſa, cum cruce liliata :

5. *Here lieth the Body of* RICHARD BRINDLEY *of this Pariſh Gent. who departed this life the 30th Day of Jan. Anno Dm.* 1714 *Aged 29 years. And upon the ſouth ſide of this lieth* RICHARD *the very ingenious & virtuouſly Inclined ſon & only child of the above named Richard Brindley & Anne his wife, who died (much lamented) the 9th of Feb. Anno D.* 1719. *Aged 6 years & 9 months.*

Portat ſcutum abs ſummo bipartitum, cum tigno inter tria conchylia coloribus commutata, & unitur alio ſcuto liliis reſperſo, cum leone erecto :

6. *Here lieth the Body of Mrs. Elizabeth LLoyd, widow to Mr. Edmund LLoyd late of this Pariſh. She departed this life the 9th Day of October* 1712. *Aged near* 80 *years.*

7. Per crucem ad lucem.

Here lieth the body of Elizabeth the wife of William Evett Gent. Rector of Madersfield, who departed this life December

ber the 14*th Anno Dom.* 1670. *And of her Age* 65.

Virtus poſt funera vivit.

8. *Here Lieth Mary the eldeſt Daughter of John Bramhall Parſon of Madersfield, who died the* 16 *Day of November* 1611. *Ætatis ſuæ* 51. *And upon her right hand lieth Nathanael her only Brother, who died the* 16 *Day of October* 1613. *Ætatis ſuæ* 19.

9. *M. S.*

Johannis Portman A. M.

Eccleſiæ de Leigh per annos 34 *Eccleſiæ de Madresfield per annos* 19	*Rectoris*

Obiit 6° *die Junii,*

Anno Salutis 1723.

Ætatis ſuæ 67°

10. *Here lyeth the Body of Mrs.* DOROTHY PENN *widow, who Departed this life the laſt day of April* 1686 *Aged* 62 *yrs. Alſo the Body of Dorothy the Daughter of* THOMAS *and* MARGARET WHITAKER *Gent. of this Pariſh, who Departed this life the* 18*th day of May* 1689. *Aged* 4 *yrs. & 9 Months. Alſo Abigail the Daughter of* THOMAS *and* MARGARET WHITAKER *gent. Departed this*

this life the 19*th of June* 1689. *Aged* 9 *months.*

11. THOMAS COOKE OF NEWLAND DIED XI OF JVLY 1625. & JVLIAN HIS WIFE DIED THE XV OF OCTOBER 1625. THIRE AGE 85.

Ad tertiam columnam auſtralis eccleſiae lateris jacet humi alius tumularis lapis, non ita pridem e terra effoſſus, ubi olim clauſtra fuere, his inſcriptis lineis :

PHILOSOPHVS DIGNVS, BONVS ASTROLOGVS, LOTHERINGVS, VIR PIVS AC HVMILIS, MONACHVS, PRIOR HVJVS OVILIS, HIC JACET IN CISTA GEOMETRICVS AC ABACISTA DOCTOR WALCHERVS, FLET PLEBS, DOLET VNDIQVE CLERVS. HVIC LVX PRIMA MORI DEDIT OCTOBRIS, SENIORI VIVAT VT IN COELIS EXORET QVISQVE FIDELIS MCXXV.

In ala aquilonari ſunt hae inſcriptiones :

Here lyeth the Body of Nicholas Langſton Gent. He Departed this Life the 4 *Day of Sept. Anno* 1631. *Aged* 72.

Here lyeth John Whittingham Rectr. of Madresfield A. B. only Son of Richard Whittingham of Worceſter M. D. by Joane Blencow of Northamtonſhire. Ob. 13. *December* 1703, *Æt. ſuæ* 59.

Alſo Eſther his wife 2d Daughter & Coheir of Richard Bourne Vicar of Walſhall in Com. Staffd. Ob. 6. *July* 1691. *Æt. ſuæ* 41.

As alſo John their 2d Son P. M. Schoolmaſter of Bengworth in this County. Ob. 18. *May* 1723. *Æt.* 48.

Qui fuit vir ingenioſus & in re heraldica optime viſus. Portat leonem erectum retroſpicientem :

Hic jacent in ſpe Beatæ Reſurrectionis, oſſa Franciſcæ Uxoris Chariſſimæ Nath. Barnes, Filiæ Thomæ Garland Rectoris de Chadſly A. M. quæ Dormiebat in Dno 27°. 8^bris^ *Anno Dom.* 1715. *Ætatis ſuæ* 64. *Quum Chriſtus vita illa noſtra patifactus erit, tum & nos patifiemus cum eo Glorioſi.*

H. S. J.
Nathanael Barnes filius Gul. Barnes de Whitborn Comit. Hereford. Gen.
Vir
Probitate inculpata,
Prudentia non vulgari,
Pietate vere Chriſtiana,
inter paucos ſpectabilis.
Qui obiit 15° *die Novembris*
Anno { *Dni.* 1723.
Ætatis 76. }

In

In ala auſtrali haec leguntur epitaphia:

Here lyeth the Body of John Tew late of Great Malvern Gent. who on the 30*th of June Departed this Life piouſly, that he might riſe Gloriouſly. Anno Dni.* 1674. *Ætatis* 48. *The memory of the Juſt is bleſſed.*

FRANCIS MORETON
of the Pale in the Pariſh of Leigh Gent. died the 28*th. and was buried Here the* 31 *day of July Anno Domini* 1714 *aged* 79 *years and* 6 *months: Alſo Liſſet his wife Daughter of Henry Doverdale of Crowl Gent. who died the* 31*ſt of March, and was buried Here the* 2*d of April. A. D.* 1717 *Aged* 72.

Portat ſcutum in quatuor partes ſectum, prima & quarta muris Armenii maculis reſperſae, ſecunda & tertia calopo inſignitae:

MEMORIÆ SACRVM
IN REFLORESCENDI DIEM ET SPEM HIC INCINERATVR CORPVS JOANNÆ CONJVGIS CHARISSIMÆ M^ri^ FRANCISCI BALLARD, QVÆ VIXIT ANNOS 53 PIE, JVSTE, SOBRIE, QVOAD DEVM, MVNDVM, SEIPSAM, GESTOS IN FIDE, PACE, SPE, CHRISTI, CONSCIENTIÆ, GLORIÆ. OBIIT AVG. 30 ANNO SALVTIS 1653 ÆTATIS. 53.

HERE

HERE REST THE BODYES OF AMBROSE COKE GEN. WHO DYED 14 FEBRVARY 1657. AND MARY HIS WIFES DAVGHTER, WIFE OF JOHN MANN GEN. WHO DYED 12 DECEMB. 1662 AND JOAN THE WIFE AND MOTHER, WHO DYED THE IX DAY OF SEPTEMBER ANNO 1665 AGED 79 YEARS.

Super coctis lateritiis quadris circumcirca ſepulchralem lapidem:

HERE LYETH THE BODY OF EDMVND REA, LATE VICARE OF MVCH MALVERNE, DECEASED THE 23 OF DEC. ANNO DOM. 1640.

Et circumcirca limbum candidi lapidis eſt haec inſcriptio:

Edmundi hoc Harewell tumulo jam claudimur oſſa,
Que vita ad tempus poſt reditura fugit;
Sic et te fugiet quicunq; inſpexeris iſtac,
Quod memorans pro me ſupplico funde preces,
VI Jan MCCCCCXXXIII.

Portat

Portat ſcutum tribus leporinis capitibus ſuper faſciam undulatam adornatum, per palum unitum duobus aliis ſuperius tigno inter tria vaccarum capita, & inferius faſcia inter tria corvorum crura a corpore vi avulſa inſignitum.

Triſtibus hiſce naeniis defatigatus, lector, egredere e templo, & mirare vallem arvis diſtinctam, pratis viridantem, pomiferis ſepibus floreſcentem, ceraſorum hortis cultam, villiſque undique confertam. Ad laevam viſitur Cotheridge, Barkleiorum ſedes non ignobilis, & hinc haud procul antiqua Wigorniae civitas, humanis ſuis incolis lanificio opulentis, & undecim ſuis eccleſiis pulchre decorata. Magis ad eurum jacet Aumeleium caſtrum, ad latus Bredonii collis ſitum, unde dominus ejuſdem de longe proſpicit Malverniam ſuam. Et propius cernitur ſedes nobilium de Coventria comitum, quae quaſi domina totius mirae regionis in ima praelucet valle. Si majora cupias videre, aſcende montem, & quouſque oculus pertingere poſſit, longe lateque feraciſſimam partem noſtrae inſulae laetus aſpicies, comitatus Monumethae, Herefordiae, Radnoriae, Salopiae, Wigorniae, Gloceſtriaeque, terminantes viſum ad auſtrum Sabrinae aeſtuarium, & ab hinc montes Glamorganenſes, Brechinienſes, Montgomerienſes; & magis ad ſeptentrionem Gilberti mons, vulgari

gari idiomate Wreken dictus. Illincque ad eurum colles Staffordienſes, Warwicenſes, Glóceſtrienſeſque, Cotſwoldi dicti, in auſtrum longe procurrentes. Quibus omnibus, teſte Malmesburienſe [a], accedit ad gloriam, *Sabrina fluvius, quo nullus in hac terra alveo latior, gurgite rapacior, arte piſcoſior*; addam, & altis ſuis ripis pulchrior. Haecque omnia aſpiciens, lector, etiam oculis defatigatus eris. Deſcende igitur paululum, & aliud miratu dignum cernes, hominem ſcilicet ſcrutantem caeca metalla, depoſitas & opes, quo loco venae aureae intus ſitae ſint. Et ad radices montis eundem invenies erutos minerarum lapides ignis liquamine excoquentem, puraque inde metalla extrahere avide cupientem; ſed proh dolor! ab anno 1711. aureae ſpes, aureique lapides in fumum huc uſque abiere, & nondum poenitet inſumptae operae. Si vero quaeres hujus adhuc abſconditi theſauri veros dominos, paucis accipe. Fuit olim de dominico regum noſtrorum, uſque ad tempora Edvardi primi, qui manerium hoc cum chacea adjacente, & caſtro de Hanleya, & aliis terris Gilberto de Clare, Gloceſtriae comiti, cum Joanna d'Acres filia ſua in matrimonium dedit. Inter quem, & S. Thomam filium do-

[a] De Geſtis Pont. lib. 4. p. 161.

mini de Cantilupo [a] tunc epiſcopum Herefordenſem, exorta controverſia de chaceae limitibus, in ſummitate montis, ad diſterminandas ſuas, & iſtius eccleſiae poſſeſſiones, foſſam duxit, quae adhuc cernitur. Illa vero levata ad nocumentum, & damnum eccleſiae Wigornienſis, aliam litem habuit cum Godfrido Giffard, epiſcopo ejuſdem : quae ad hunc modum ſopita fuit [b] : Quod comes Gilbertus, & Joanna uxor ejus, & haeredes eorum annuatim ſolverent e chacea Malverne, praedicto epiſcopo, & ſucceſſoribus ſuis apud manerium ſuum de Kemſey, duos damos bonos tempore pinguedinis in vigilia Aſſumptionis beatae Mariae, & duas damas bonas tempore fermiſionis in vigilia Nativitatis Domini : in vacatione vero ſedis epiſcopalis, eoſdem tunc ſolvendos priori & capitulo Wygorn. eos petentes per attornatum eorum ad portam caſtri de Hanleya. Dat. apud Theok. die ſabbati proxima ante feſtum beati Dunſtani, anno regni regis E. filii regis Henrici decimo nono. Sed ut redeam, Gilberto horum filio unico occiſo in praelio apud amnem de Banoc in agro Sterlinenſi, nullaque relicta prole, Alianora uxor Hugonis le D'eſpencer cohaereſque fratris haereditario jure ſucceſſit ei-

[a] Corrige Cambdenum p. 435. Ed. L. 1607.
[b] Vid. Chart. Orig. p. 159, 160.

ANTIQUITATES

PRIORATUS

Majoris MALVERNE.

AD occidentalem plagam Wicciorum pagi, ubi diſterminatur ab agro Herefordenſi, longo tractu excurrunt ab auſtro in ſeptentrionem Malverniæ montes; capitibus nudis & ſaxoſis, lateribus hinc & inde alnetis coopertis; nomen forſan ſumentes a *Moel*,

a quod

quod Britannice ſignificat *calvus*, & *Wern*, *alni*; ſicut *Ivernia* ſive *Ibernia* ſic dicta eſt ab *alnis*, quibus ea inſula abundabat [a]. Ad horum radices ad orientem late extenditur planities, quondam dumis & arboribus conſita, & ferarum latebra non ignobilis, *Malverniae chacea* appellata: hic inter nemoroſa loca, ubi plurimi rivuli a monte defluunt, & fontes nitidis ſcaturiunt undis, monachus quidam nomine Aldwinus cum Guidone ſocio heremiticam vitam exercebat. *Guidoni poſt longos agones compendioſius ad gloriam viſum, ut Jeroſolymam iret, ubi labore itinerario vel Domini ſepulchrum videret, vel feliciter manu Saracenorum mortem anticiparet. Adlwinus eidem ſententiae inductus conſili-*

[a] Vide *Kennet.* Paroch. Antiq. p. 684.

um

um tamen quaeſivit cum patre Wolſtano, tunc Wygorniae epiſcopo, a quo monachus factus fuerat: diſſuaſit pontifex, & ardentem refrigeravit dicens: Noli ſodes Aldwine quoquam ire, ſed in loco mane, crede mihi, mirareris, ſi ſcires quod ſcio, quantum in illo loco per te Deus operaturus ſit. Diſceſſit hoc audito monachus, firmoque jam durabat in propoſito, leviabatque ſpe prophetiae omne genus aerumnae [b]. Nec multo poſt vaticinium properavit impleri, hujus enim vita & moribus aeque ac loci ſilentio & amoenitate delectatus Urſo D' Abytot, inter Wicciorum nobiles vir praepotens & illuſtris, hic heremitorium fundavit paulo ante conqueſtum [c], ſcilicet tempore Edvardi regis con-

[b] *W. Malmsbury* De geſtis pontif. Angl. l. 4.
[c] *Dugdale* Monaſt. Anglic. v. I. p. 366. b.

feſſoris, qui dedit eidem unam virgatam terrae in Baldeh, in feudo de Hanley; *veniebantque ad Aldwinum alter poſt unum, tertius poſt alterum, & ita uſque ad tricenarium numerum; affluebatque eis in primis victualium copia, vicinis beatos ſe judicantibus, qui aliquid Dei famulis impertirentur* [d]. Et poſtmodum Giſlebertus abbas Weſtmonaſterienſis 18 Willielmi conqueſtoris anno, de aſſenſu ipſius Urſonis, & cum licentia ejuſdem regis (qui tunc confirmavit praenominatam Edvardi donationem) conſtituit ibidem quendam priorem & monachos, & contulit eis maneria de Nova Terra, Wortefeld, & Powyk, cum una virgata terrae in Martuna, quam ei dederat Landricus de Clifford. Osbertus

[d] Placita coram rege apud Ebor. term. Mich. 12. E. 2. *Dugdale* Monaſt. Angl. v. II. p. 876.

filius

filius Pontii contulit eis maneri-um de Longneye, Guido filius Holgodi duas hidas terrae, qua-rum una fuit in Wyreceſterſire, & altera in Staffordſire nomine Quata. Rogerus de Chaundos de-dit villam de Hatfeld, Ricardus filius Pontii & Matildis conjux, & Simon filius eorum conceſſere eccleſiam de Cantarabohan Me-nevenſis dioiceſeos, & omnes de-cimas, & duas carucatas ibidem; quibus addidere eccleſiam de Lecten, & unam hidam & vir-gatam terrae in eadem villa, & decimam de terra Eſtradel, quae vocatur Becchen. Milo Glouce-ſtre dedit eis terram de Lamde-ſpidic, cum omnibus quae ei per-tinent, & eccleſiam de Marteco-not, cum decimis ejuſdem; ha-buere etiam eccleſiam ſancti Ger-mani de Lanrieragh ex dono Rot-berti filii Willielmi, & Rotberti

comitis

comitis Gloceſtriae [e]. Quas quidem donationes dominus Henricus rex, filius regis Willielmi conqueſtoris, ratificavit & confirmavit, primo apud Herefordiam, & deinde apud Wintoniam, anno Domini 1127. & poſtea ex ſua [f] regia munificentia dedit eiſdem priori & conventui decem libratas terrae cum pertinentiis in Baldenhale, Malverne, Northwod, & Fulford; habenda & tenenda in puram & perpetuam eleemoſynam, quieta ab omni onere & ſervitio ſaeculari, pro anima ipſius Henrici regis, & animabus progenitorum & haeredum ſuorum. Non multis poſt annis, regnante Henrico ſecundo, orta eſt controverſia inter abbatem Weſtmonaſterienſem dicentem ſe patronum eſſe

[e] *Dugdale* Monaſt. Angl. v. I. p. 366, b. & 367. a. Ubi pro *carta regis Henrici II.* lege *alia carta regis Henrici I.*

[f] Placita coram rege 12. E. 2.

prioratus,

prioratus, & epiſcopum Wygornienſem, in cujus dioiceſi exiſtit, de juriſdictione in eodem prioratu, & de jure inſtituendi priores, & viſitandi ibidem, ac procurationes ratione viſitationis exigendi. Monachi cupientes ſe eximere a ſubjectione epiſcopi, & totaliter ſeipſos ſubjicere abbati Weſtmonaſterienſi, procuravere W. abbatem ibidem, quendam Walterum, quem elegerant in priorem, auctoritate propria clanculo inſtituere abſque conſenſu epiſcopi [g]. Quo facto epiſcopus priorem ſuſpendebat, & ſuſpenſum tenuit, donec iidem abbas & prior ei de tali exceſſu ſuo ſatisfecerant, ita quod omnibus in irritum redactis, quae circa inſtitutionem prioris facta fuerant, juſſu epiſcopi per officialem ſuum inſtitutus fuit. Haec acta fuere tempore Rogeri

[g] Vid. Chart. Orig. p. 97, 98.

Wygor-

Wygornienſis epiſcopi, anno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto. Poſtea alter Walterus prior ſuſcepit curam animarum & adminiſtrationem ſpiritualium in eccleſia majoris Malverne per manum Roberti tunc epiſcopi, anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo primo; & anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, ſopita hac controverſia, Willielmus de Bleys epiſcopus Wygornienſis Dominica in Quadrageſima admiſſus fuit ſolemniter cum proceſſione apud majorem Malverne, & procuratus, & craſtino intravit capitulum, & praedicavit cauſa viſitationis; anno etiam milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto, eadem de cauſa eodemque die iterum procuratus fuit. Cui ſucceſſit Walterus de Cantilupo, qui primo ſuae conſecrationis anno, viz. anno Domini

milleſimo

milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo idem fecit, & correxit corrigenda; & anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, mortuo Thoma tunc priore, cuſtodiam vacantis prioratus habuit, & facta examinatione ſuper electione Johannis prioris ſuccedentis, coram abbate & conventu de Wynchecomb, confirmavit eum, & per officialem ſuum inſtallatus fuit, facta prius epiſcopo canonica obedientia. Huic poſt Nicolaum de inſula Elienſi ſucceſſit in epiſcopatu Godfridus Giffard, vir juriſdictionis ſuae ſtrenuus aſſertor, qui hanc ſopitam controverſiam iterum revireſcentem, & in altas ſurgentem flammas, multo labore penitus extinxit. Hujus conſecrationis anno undecimo Willelmus de Ledebury commonachus a fratribus ſuis electus

 fuit

fuit in priorem, & cum fuiſſet approbatus ab abbate Weſtmonaſterienſi, praeſentatus fuit a Ricardo ſuppriore & conventu quarto non. Marcii, anno gratiae milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, ut ab epiſcopo inſtitueretur [g]. Hic ſuſcepto regimine, vir malis moribus, libidini & crapulae totum ſe dedit, & vitiis multis irretitus ab epiſcopo admonitus fuit, cui non obediens cum Ricardo de Mathine ſuppriore, Galefrido de Walecot, praecentore, & Willelmo de Wyke ſacriſta, ob vitium contumaciae contractae, incidit in ſententiam ſuſpenſionis a celebratione divinorum; a qua relaxatus fuit a magiſtro Ricardo de Vienne & R. de Wychio, clericis epiſcopi ad hoc poteſtatem

[g] Chart. Orig. p. 1.

habenti-

habentibus, ix. kal. Junii anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, praeſtito per eum prius juramento de parendo juri, & mandato domini [h]; & poſt duos dies, viz. vii. kal. Junii, ipſe ad relaxandam ſententiam hujus latam in ſuppriorem, praecentorem, & ſacriſtam ſuae domus vice domini epiſcopi poteſtatem obtinuit ſpecialem. Sed moribus nihil emendatis, & illo cum monachis ſuis magis indies diffamato, eodem anno craſtino beati Matthaei apoſtoli epiſcopus viſitavit prioratum, & in capitulo praedicavit, cujus ſermo talis erat, *Veniam & deſcendam ſuper vos*, &c [i]. Et poſtea debitum exercens viſitationis officium, invenit priorem illegitimum, dilapidatorem, irregula-

[h] Chart. Orig. p. 2, 3. [i] Ibidem p. 4.

rem, delirum, fornicationis, adulterii, & inceſtus criminibus, non minus quam cum viginti & duabus mulieribus, notorie diffamatum [k]; propter quod, capitulis ſuper hiis ſibi editis, & ſuis reſponſionibus habitis, & de veritate praeſtito juramento, & tam in ipſo prioratu, quam extra, ſuper criminibus ſupradictis per viros fide dignos, & teſtes omni exceptione majores, inquiſita cum ſumma diligentia veritate, apertiſque atteſtationibus, earum cum effectu oblata ſibi copia, & dicendi in teſtes & ipſorum dicta facultate conceſſa; cum pro ſe nihil rationabile proponeret, & omnia manifeſte contra eum facerent; ab adminiſtratione prioratus praedicti ipſum ſolemniter depoſuit. Quo

[k] Chart. Orig. p. 7, & 24.

facto ſupprior & conventus loci, fratrem Willelmum de Wykewan priorem de Avecote com. Warr. virum ſanctum & diſcretum ſibi in priorem concorditer elegerunt, ipſumq; cum ſuis literis ad Ricardum de Ware, abbatem Weſtmonaſterienſem ob ſuum impetrandum aſſenſum, una cum quibuſdam ſuis confratribus & laicis aliis, ſecundum eorum conſuetudinem, tranſmiſerunt. Quem electum & omnes aſſiſtentes eidem, equitaturis & vecturis ſuis ſpoliatos, idem abbas carcerali cuſtodiae mancipari, & in vinculis ferreis detineri praecepit; ſcripſitq; monachis apud Malverne, quod juriſdictionem epiſcopi negarent, electionem Willelmi de Wykewan irritam haberent, & Willelmo de Ledebury priori ſuo adhaererent. Cui conſenſere fratres

fratres Willelmus de la Were, Ricardus dictus le Meillur, Willelmus de Alynceſtre, Johannes de Perſore, Johannes de Wyke, Robertus de Poywyke, & Simon de Wygornia: & ob hunc contemptum juriſdictionis epiſcopi ab illo excommunicati fuere. Inter haſce turbas xvii. kal. Novembris ſcripſerat epiſcopus abbati Weſtmonaſterienſi apud Salopiam tunc degenti, illum rogans & exhortans in Domino, quatenus quod minus caute actum fuerat, cautius revocans, dominum Willelmum de Wykewan priorem electum, reſtitutis ſibi ablatis, ad ſe abſque aliqua difficultate remitteret [l]. Sed ille in ſpiritu prioris rebellionis perſiſtens, inſolenter nimis reſpondebat [m]. Quapropter xvi kal. Novembris priori eccleſiae con-

[l] Chart. Orig. p. 5. [m] Ibidem p. 6.

ventualis

ventualis de Perſore, & magiſtro W. de Cherynton rectori eccleſiae de Stoke Prioris, mandatum dedit: quatenus praefatum abbatem in monaſterio ſuo de Perſore citarent peremptorie, quod compareret coram illo die lunae proxima poſt feſtum ſancti Leonardi in conventuali eccleſia Theokisbury ſuper tam notorio exceſſu reſponſurus, facturus, & recepturus, quod dictaret ordo juris [n]. Eodemq; die ſcripſit officiali archidiaconi Salopienſis, rogans & requirens eum ex mutuae viciſſitudinis officio, quatenus praefatum abbatem in abbatia Salopburienſi in ſua juriſdictione tunc commorantem peremptorie citaret, quod compareret ut ſupra [o]. Et reſponſum habuit ab eo, quod lecta ſua epi-

[n] Chart. Orig. p. 9, 10, 11. [o] Ibidem p. 11, 12.

ſtola

ſtola abbati praedicto; dicebat ſe nullam citationem recepturum, dum in illo loco eſſet, nec ab archidiacono Salopienſi, nec ab archidiacono Cantuarienſi, nec aliam reſponſionem ſe poſſe habere [p]. Non ſic obſtinatis animis perſiſtebant excommunicati monachi Malvernenſes, nam viii. kal. Nov. venit apud Bredon frater Ricardus de Wygornia dictus le Meillur, & abſolutionis gratiam humiliter & devote petiit, & promittens ſub debito praeſtiti ſacramenti ſe nunquam juriſdictionem, nec jura epiſcopi ope, facto, conſilio, vel favore impedire, ac etiam electionem factam de fratre Willelmo de Wykewane ratam habere, in forma juris abſolutus fuit [q]. Et inter paucos dies Symon de Wy-

[p] Chart. Orig. p. 12. [q] Ibidem p. 14, 15.

gornia,

gornia, Willelmus de Alynceſtre, Johannes de Perſore, & Johannes de Wyke, eundem obtinuere favorem, & commiſſio data fuit decano de Poywyke abſolvendi fratres Petrum de Wychio, & Johannem de Alynceſtre, qui ob ſuam debilitatem incorpoream ad epiſcopum nullatenus potuere accedere [r]. Willelmo vero de Were, & Willelmo de Ledebury, & Alano de Cante in ſententia excommunicationis perdurantibus, injunctum fuit eidem decano de Poywyke, quod aſſumptis ſibi quatuor vel quinq; vicinis rectoribus ſeu vicariis & ad locum majoris Malverne accedentibus, ibi pulſatis campanis, candelis accenſis, excommunicatos ſolenniter denuntiaret, inhiberetq; monachis omnibus & ſingulis,

[r] Chart. Orig. p. 23.

ſingulis, ne fratrem Willelmum de Ledebury excommunicatum, ſuum proprietarium, ordinis ſubverſorem, regulae tranſgreſſorem inibi receptarent ſeu admitterent [r]. Decimo ſeptimo die hujus menſis Octobris ſcripſit epiſcopus literam deprecatoriam ad amicum ſuum dominum Wellenſem & Bathonenſem epiſcopum, Angliae tunc cancellarium, exponens in ordine quid acciderat; depoſitionem prioris, incarcerationem electi per abbatem Weſtmonaſterienſem, ejuſq; temeritatem & contumaciam in aſſerendo ſe nullam habere juriſdictionem in iſto prioratu, & eo propter attente rogavit eum, ſpecialiſſime confidens in ejus amicitia, quatenus domino regi veritatem intimaret, inſtaret,

[r] Chart. Orig. p. 19.

quod

quod uti juriſdictione ſuae eccleſiae debita licenter permitteret,& quod pro incarceratis intuitu juſtitiae de regia benignitate remedium opportunum concederet[t]. Sed ſero nimis haec epiſtola miſſa fuit, nam abbas Weſtmonaſterienſis regis animum praeoccupaverat, & ei oſtenderat eccleſiam ſuam cum membris ſuis ſanctae Romanae eccleſiae immediate eſſe ſubjectam, & per Romanum pontificem taliter munitam, ut nemini liceret in ipſis aliquam juriſdictionem ordinariam exercere, quod grave damnum ipſe & conventus ſuus perpeſſi fuerant apud majorem Malverne, unum ex membris praedictis; ubi epiſcopus Wygornienſis propria auctoritate depoſuerat priorem, diverſos obedien-

[t] Chart. Orig. p. 7, 8, 9.

tiarios & miniſtros amoverat, & quoſdam armatos ibidem poſuerat, qui homines ſuos expulerant, bona praedictae domus devaſtaverant & conſumpſerant, & alia enormia ibidem intulerant, ad laeſionem privilegiorum ſuorum & libertatum ſuarum, ſibi a regibus Angliae progenitoribus ſuis conceſſarum [u]. Quibus rex motus ſcripſit epiſcopo decimo octavo die hujus menſis, ſe iſtam eccleſiam, & perſonas ejuſdem, & earum bona in protectionem & defenſionem ſuam ſuſcepiſſe, & ideo rogans mandavit ei, quod priorem & alios in priſtino ſtatu ſuo reduci faceret, ita ut non amplius ſuper hoc ſolicitaretur; ſed nec his criminationibus, nec regiis mandatis perterritus epiſcopus, perſtitit

[u] Chart. Orig. p. 13, 14.

in

in reſolutione ſua vindicandi juriſdictionem eccleſiae ſuae, & omnibus in pejus vergentibus, monaſterio expilato, arboribus ſucciſis, bonis ejus hoſtiliter invaſis, & auſu nefandiſſimo ablatis, ii. kal. Novembris praecepit decano de Poywyke, quod omnes iſtos ſacrilegos, quos conſtabat in majoris excommunicationis ſententiam ipſo facto damnabiliter incidiſſe, ſic excommunicatos in ſingulis eccleſiis ſui decanatus publice & ſolenniter nuntiari faceret, & ſub poena anathematis omnibus inhiberet, ne quis bona monaſterii praedicti, prioris ſolatio tunc viduati, invaderet, aut contra juſtitiam occupare praeſumeret [w]. Depoſito Willelmo de Ledebury, epiſcopus prioratum tanquam verus patro-

[w] Chart. Orig. p. 21, 22.

nus

nus ejuſdem in manibus ſuis ſumpſerat, & Henricum de Wynton clericum, quoad ſpiritualia, & fratres Ricardum de Burlingham, & Ricardum de Frome quoad temporalia ejuſdem prioratus cuſtodes deputaverat, uſq; ad creationem futuri prioris. Qui quidem Henricus a die Jovis proxima poſt feſtum beati Michaelis, uſq; in diem Jovis proximam poſt feſtum Omnium Sanctorum ipſum prioratum vice & nomine epiſcopi pacifice cuſtodivit ; ſed tunc a prioratu praedicto & cuſtodia ejuſdem, per vicecomitem Wygornienſem de mandato domini regis expulſus fuit [x]. Cui breve poſt injunctum fuit, quod prioratum, quem nuper in manum regis ceperat, ſine dilatione reſtitueret Willelmo

[x] Chart. Orig. p. 24, 25.

de

de Ledebury, priori ejuſdem, cum omnibus inde perceptis; hoc vero mandatum non ſtatim executus iv. die Decembris alterum recepit, hoc addito, quod pro contemptu & falſo retorno amerciatus fuit ad centum ſolidos, & niſi hoc mandatum plenius exequeretur gravius amerciandum fore [y]. Amoto Henrico de Wynton, epiſcopus per chartam ſuam publicam dat. vii. id. Nov. omnibus declaravit, quod ob reverentiam & ſtatum domini regis, quem ad ſui regni & totius eccleſiae Anglicanae defenſionem, praeſidium, & munimen, armis bellicoſis novit eſſe occupatum, hac vice cum patientia toleravit, abſque ultione qualibet per ſpiritualem gladium facienda: ne ipſius domini

[y] Chart. Orig. p. 44.

regis propoſitum impediri contingeret, animumve turbari[z]. Sed amotionem Ricardi de Burlingham & Ricardi de Frome a regimine temporalium, qui eodem tempore per vim expulſi fuere, non ita aequo tulit animo; ſed v. id. Nov. injunxit decano de Poywyke, quod omnes illos iniquitatis filios, qui juriſdictionem ſuam invaſerant, officiales ſuos amoverant, & amotos excommunicationis vinculo innodaverant, quanquam juriſdictionem ordinariam ſeu delegatam in dicto prioratu nullam habuere; adjunctis ſibi duobus rectoribus ſeu presbyteris parochialibus in ſingulis eccleſiis ſui decanatus, excommunicaret, & excommunicatos publice nuntiaret; omneſq; illos, quorum ope, con-

[z] Chart. Orig. p. 25, 26.

filio,

ſilio, aut conſenſu commiſſum tam execrabile fuiſſet perpetratum, ſimili ſententia involveret, & involutos declararet: quodque de nominibus delinquentium diligentem inquiſitionem faceret, & reos peremptorie citaret ad comparendum coram ipſo in capella ſua de Bredon die Lunae proxima poſt feſtum ſancti Martini, pro demeritis juſtitiam recepturos [a]. Die Lunae proxima ante hoc feſtum S. Martini, epiſcopus pro tribunali ſedens in eccleſia conventuali Theokesburye more ſolito praeconizari fecit, abbatem Weſtmonaſterienſem peremptorie citatum ad tunc comparendum, & non apparentem contumacem reputavit, & poenam in proximum diem litis diſtulit infligendam, ad majeſtatem re-

[a] Chart. Orig. p. 29, 30, 31.

giam ſolummodo reſpectum habens, in cujus obſequio commorabatur; decrevitq; ipſum fore peremptorie vocandum ad comparendum coram ſe proximo die juridico poſt feſtum beati Andreae apoſtoli, in eccleſia parochiali de Campeden, ſecundum tenorem retro actorum, facturus & recepturus quod juſtitia ſuaderet [b]. Et eodem die viz. vi. id. Nov. ſcriptum fuit decanis de Poywyke, & de Perſore, quod eundem vice iterata in maneriis ſuis de Langele, & de Morthon, & de Perſore citarent peremptorie, quod ibi compareret die praedicto [c]. iv. id. Nov. ſcripſit Johanni archiepiſcopo Cantuarienſi, qui ad ſuam inſtantiam literas ſuas miſerat abbati Weſtmonaſterienſi pro

[b] Chart. Orig. p. 27, 28. [c] Ibid. p. 28, 29.

monachis

monachis incarceratis, gratiarum multiplices actiones impendens tanto patri pro tanta clementia, notumq; faciens ei, quod ad eorum liberationem nihil actum fuiſſet, ſed quod ſeverius in carcere detruſi detinebantur [d]. De hiſce etiam injuriis & moleſtiis conquerebatur apud curiam regiam, petens per iſtam remedium adhiberi ſibi, & eccleſiae ſuae [e]; miſitq; magiſtrum Robertum de Wychium, & dominum Adam de Avebury capellanum ſuum, cum literis ſuis datis ii. id. Nov. domino Antonio Beke archidiacono Dunelmenſi, viro in legibus peritiſſimo, ac inde domino Bathon. & Wellen. epiſcopo, ad implorandum eorum conſilium; & juvamen [f]. Et paucis poſt

[d] Chart. Orig. p. 31, 32. [e] Ibid. 33, 34, 35, 36. [f] Ibid. p. 36, 37.

diebus ſuppoſuit ipſum monaſterium majoris Malverne, cum eccleſiis & capellis eidem adhaerentibus, eccleſiaſtico interdicto; poenitentiis decedentium & baptiſmate parvulorum duntaxat exceptis; ad hoc motus, quia monachi Malvernenſes iterum receperant Willelmum de Ledebury, qui poſt depoſitionem ſuam furtive clauſtri cuſtodias reſpuens, & ultra ſepem horridam, & foſſatum non minimae altitudinis exiliens, dicti monaſterii pecunias ſecum aſportaverat: & monitus ut ad clauſtrum rediret facturus poenitentiam, ob contumaciam, primum ſuſpenſionis, deinde excommunicationis ſententiis innodatus fuerat: hunc ſic excommunicatum non obſtante juramento ante praeſtito, non per portam vel per oſtium, ſed aliunde tanquam furem, & latronem,

latronem, ultra muros in nocturno temporis ſilentio aſcendentem indebite ſuſceperant, & ipſum tanquam priorem obſervabant [g]. Quare mandatum dedit decano de Poywyke xvi. kal. Decembris, quod una cum aliquibus rectoribus, vicariis, ac aliis clericis craſtino ſummo mane in majori Malverna adeſſet, & fratres & omnes quocumque genere communionis communicantes cum ipſis, majoris excommunicationis ſententia involutas declararet, & in ſingulis eccleſiis ſuis, & proceſſionibus, diebus feſtivis & aliis, in majori populi praeſentia ſic excommunicatos, extinctis candelis & pulſatis campanis, ſolenniter & publice nuntiaret [h]. Eidemque decano injunxit viii. kal. Decembris, quod

[g] Chart. Orig. p. 38, 39, 40, 41, 42. [h] Ibid. p. 43.

fructus

fructus & proventus omnimodos eccleſiae parochialis Malverne ſequeſtraret, & ſub arto ſequeſtro cuſtodiri fa.eret, & priora mandata de excommunicatis ibidem publice nuntiandis, & interdicto inibi interpoſito diſtrictius obſervando cum ſumma diligentia, exequeretur [i]; quartoque non. Decembris eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto civitatem, villas, monaſteria, prioratus, eccleſias, & capellas, nec non alia loca ſuae dioeceſeos, ad quae abbatem Weſtmonaſterienſem contingeret declinare, & eis quovis tempore magno vel modico immorari: firmiter injungens omnibus & ſingulis ſuis clericis ſub poena diſtrictionis canonicae hanc interdicti ſententiam in omnibus obſervare, & ab aliis

[i] Chart. Orig. p. 45.

artius

artius facere obſervari[k]. Scripſit etiam de eadem re officiali archidiaconi Wygornienſis ii. id. Decembris in virtute obedientiae mandans ei, quatenus Willelmum de Ledebury, & fratres ei adhaerentes, & in excommunicationis & erroribus ſuis damnabilius ſolito perſeverantes, omnes & ſingulos, tam in eccleſiis conventualibus ſeu collegiatis, quam aliis parochialibus ſingulis, exemptis pariter & non exemptis, infra ſui diſtrictus ambitum undiq; conſtitutis, pulſatis campanis & accenſis candelis, inter miſſarum ſolennia excommunicatos palam faceret, per ſe vel per alios, nuntiari: nec non inhiberi diſtrictius, ne quis cum eis aliquo modo communicare praeſumeret, ſub poena excommuni-

[k] Chart. Orig. p. 45, 46, 47, 48.

cationis

cationis majoris; quod de nominibus communicantium cum eis in ſingulis decanatibus, per ipſorum locorum decanos diligenter faceret inquiri, & ſi quos invenerit dicta excommunicationis ſententia involutos, declararet, & peremptorie citaret, poſtquam fides de hiis facta fuerit, quod comparerent coram illo infra octo dies, ubicumque ſe eſſe contingeret in dioeceſi ſua, facturos & recepturos quod canonicum foret, & eis congrueret ſalubriter ad medelam: provideret inſuper, quod omnia loca, per quae ſub ambitu ſui diſtrictus Ricardus abbas Weſtmonaſterienſis tranſitum faceret, ſeu in quibus moram traheret, ubicumq; ipſo praeſente, ob ipſius culpam notoriam interdicto eccleſiaſtico ſupponerentur. Ad haec, bona quaecunq; in maneriis

riis ad dictum prioratum ſpectantibus, quocunque nomine cenſebantur & qualitercunque reperta, ſub ſequeſtro & fida cuſtodia, abſque diſſipatione qualibet, faceret conſervari, quouſque ſuper relaxatione ſequeſtri ipſius mandatum a ſe reciperet ſpeciale. Et praeterea, quod fratres Ricardum dictum le Meillur de Wygorn. Johannem de Perſore, Symonem de Wyke, notorie ſuper perjurii reatu convictos, peremptorie citaret, quod die ſabbati proxima ante feſtum beati Thomae apoſtoli comparerent coram illo, ubicumque tunc foret in dioeceſi ſua, poenam condignam pro tam notorio crimine devotius recepturos [1]. Haec licet ſevera, neceſſaria tamen viſa fuere epiſcopo

[1] Chart. Orig. p. 50. 51, 52, 53, 54.

ad tuendam juriſdictionem ſuam: & in quoſdam bonum ſortita ſunt effectum. Inter hos Alanus de Cante clericus, anathematis vinculo innodatus ob ſuas offenſas & contumacias in communicando cum fratre Willelmo de Ledebury, abſolutus fuit xv. kal. Decembris [m]. Et Johannes de Wampage de Perſore xiii. kal. Dec. Radulphus ballivus abbatis Weſtmonaſterienſis apud Perſore, Walterus de Publinton ballivus ejuſdem abbatis apud Morton & Langeleg; hi omnes abſoluti fuere apud Bredone [n]. Apud Poywyke die Sabbati in vigilia beati Nicholai coram officiali archidiaconi Wygornienſis abſoluti fuere in forma juris Willelmus Cayſho & Agnes

m Chart. Orig. p. 43, 44, n Ibidem p. 14, 15, 16, 17.

Thony

Thony de Nova Terra, quae habuit diem ſe purgandi ſuper incontinentia habita inter fratrem Willelmum de Ledebury & ipſam[o]. Apud Weſton abſoluti fuere Johannes de Aucredeham, & Henricus de Couleg[p]. Et iv. Non. Decembris Willelmus Bolejaumbe, Willelmus Benſet, Thomas Hache, Caecilia atte Welle & Juliana Northyn, quibus pro ſalutari poenitentia injunctum fuit, quod proceſſionem eccleſiae cathedralis Wygorn. tribus Dominicis proximis diſcalceati, in tunicis, diſcoopertis capitibus, cum presbyteris duobus vel pluribus ediſcentibus coram populo ſua commiſſa, ſequerentur actu & more poenitentium[q]. His in melius ver-

[o] Chart. Orig. p. 14, 15, 16, 17. [p] Ibid. p. 18. [q] Ibid. p. 48, 49.

gentibus epiſcopo cordi fuit, delinire animum regis, & cohibere poteſtatem miniſtrorum ejus; quapropter xiv. kal. Jan. iterum ſcripſit amico ſuo & praecipuo praeceptori domino R. Bathon. & Wellen. epiſcopo, patefaciens ei, quod regis theſaurarius domum de majoris Malverne, contra id quod hactenus fieri conſuevit, in manum regis capi fecerat, poſtmodoque miniſtros ſuos inde amoverat, depoſitum priorem temere reſtituerat ſtatui priſtino, & deſtitutum inſtituerat, non abſque juris offenſa, & infractione libertatis eccleſiae ſuae: ob quod licet theſaurarius in excommunicationis ſententiam latam in concilio Oxonienſi inciderat, tamen ob reverentiam domini regis iſtam ſententiam hucuſque diſtulerat publicare: illum igitur ſub omni ſpecialitatis

alitatis genere, qua invicem copulabantur, devote rogavit, ut reſcriberet, ſi liceret illi abſque indignatione regia & ſua, contra illum theſaurarium ſui officii debitum exercere [r]. Hujus favore rex melius informatus ſcripſit theſaurariis & baronibus ſuis de ſcaccario, & vicecomiti Wygorn. quod ſcrutatis rotulis & memorandis ſcaccarii, ſi eis lucide conſtaret, quod prioratus Malverne occaſione vacationis ejuſdem vel alia ratione nunquam alias captus fuiſſet in manum ejus, tunc de prioratu illo in manu ſua detinendo ſe ulterius non intromitterent [ſ]. Miſſum etiam fuit breve regium vicecomiti Middleſex, ei praecipiens, quod juſte & ſine dilatione re-

[r] Chart. Orig. p. 54, 55, 56. [ſ] Ibid. p. 57, 58, 59, 60.

plegiari

plegiari faceret fratrem Willelmum de Wickewane, quem abbas Weſtmonaſterienſis captam tenuit [t]. Et paulo poſt alterum, hoc addito, *vel coram nobis ſignifices, quare mandatum noſtrum alias tibi directum exequi noluiſti, vel non potuiſti* [u]. Sed ballivi vicecomitis timentes poteſtatem papae, cui ſoli ſe ſubjectum eſſe abbas aſſeruit, haec brevia exequi non curavere; tertium igitur miſſum fuit praecipiens vicecomiti, quod non omitteret propter libertatem abbatis Weſtmonaſterienſis, quin eandem ingrederetur, & juſte & ſine dilatione replegiari faceret detentum fratrem Willelmum de Wykewane, ut non amplius audiretur clamor pro defectu juſtitiae; hac ratione addita, *quia*

[t] Chart. Orig. p. 61. [u] Ibid. p. 62.

nobis

nobis ſignificaſti, quod feciſti retornum brevis noſtri ſuper hoc tibi directi ballivis libertatis praedictae, qui mandatum noſtrum minime exequi curaverunt[w]. Sed non obſtante hoc brevi abbas adhuc detinuit monachos, & ad curiam Romanam & tuitionem curiae Cantuarienſis appellavit. Circiter hoc tempus quinto ſcilicet kal. Januarii archiepiſcopus intimaverat ſe viſitaturum eccleſiam Wygorn. in craſtino Purificationis beatae Mariae virginis[x], quo die viſitavit epiſcopum, & illo tantum die ſumptibus ipſius epiſcopi procuratus fuit, & jacuit in prioratu; die Jovis viſitavit monachos ibidem, die Veneris moniales de Wyſton, die Sabbati adivit majorem Malverne, & prae-

[w] Chart. Orig. p. 62, 63. [x] Ibid. 63, 64.

dicavit

dicavit ibidem in capella; qua peracta, cum petierit in forma debita ab eis ad viſitationem admitti, ſurrexerunt magiſtri R. dictus Barret & R. de Vaſto Prato, procuratores abbatis Weſtmonaſterienſis, & aſſerebant ipſum prioratum majoris Malverne ita eſſe privilegiatum, quod nec dictus archiepiſcopus, nec epiſcopus Wygornienſis aliquam juriſdictionem habuere in eodem, offerentes ſe paratos congruis loco & tempore hoc docere; quibus archiepiſcopus praefixit diem ad exhibendum & proponendum privilegia ſua. Et die Martis proximo ſequente ſtetit cum domino epiſcopo in menſa apud Hertlebure[y], & perviſitavit totam dioeceſim in vigilia Annuntiationis Dominicae ejuſ-

[y] Chart. Orig. p. *64, 65*.

dem

dem anni, & de ſua hac viſitatione tam clerus quam populus illum laudabiliter commendavere [z]. Dum archiepiſcopus hanc dioeceſim peragrabat, tranſmiſſa tunc ad Romanam curiam cauſa ſua, ſcripſit epiſcopus v. id. Febr. literam deprecatoriam ad Hugonem de Eveſham tituli ſancti Laurentii in Lucina Preſbyterum cardinalem, & archidiaconum Wygorn. & miſit per manus Ricardi de Salſomariſco clerici ſui, notam faciens ei depoſitionem W. de Ledebury, captionem W. de Wykewane nepotis ejus, & tranſmiſſionem ejuſdem cum tribus commonachis ad ſepta Wemonaſterii: & quod ibi in imo carceris tam diriſſime flagellati fuere, quod frater Robertus dictus Wyther inibi miſe-

[z] Chart. Orig. p. 66.

rabiliter expiraverat: & licet pro liberatione dicti electi & confratrum ſuorum tam ad regem, quam ad alios amicos literas direxerat, & cum favore impetraverat; tamen propter zizaniam abbatis Weſtmonaſterienſis, quam contra jura eccleſiae ſuae ſubdole ſeminaverat, non valuerat hactenus praevalere: unde intimis viſceribus caritatis ſuam paternitatem ſuppliciter exoravit, quod liberationi incarceratorum & reparationi jurium ſuorum ſic vellet intendere, quod per illum Wygornienſis eccleſia ſe gaudeat exaltatam, & ille ſuper hoc placeat altiſſimo Creatori[a]. Eodem tempore ſcripſit Edwardo de Wareſend, Johanni de Butterleg, & Thomae de Wycheford, clericis & procura-

[a] Chart. Orig. p. *66, 67, 68.*

toribus

toribus ſuis in curia Romana commorantibus: & per eundem Ricardum de Salſomariſco miſit eis petitiones ſuas, requirens pariter & rogans, quatenus eas vellent celeriter & foeliciter proſperare [b]. Sed non ſolum ad curiam Romanam appellaverat abbas Weſtmonaſterienſis, ſed pro tuitione etiam ad curiam Cantuarienſem; & vii. kal. Martii hoc anno ab officiali ejuſdem inhibitionem recepit epiſcopus, ne quicquam ulterius attemptaret in partis praejudicium appellantis, quominus liberam proſecutionem haberet appellationis ſuae: citans eum peremptorie quod compareat in eccleſia beatae Mariae de Arcubus Lond. proximo die juridico poſt Dominicam, qua cantatur *Laetare Je-*

[b] Chart. Orig. p. 69, 70.

ruſalem, facturus & recepturus in dicto tuitionis negotio quod juſtitia ſuaderet [c]. Sed vi. idus Martii hanc tuitionis cauſam revocavit archiepiſcopus ad ſui examen, mandavitq; officiali ſuo quatenus receptis teſtibus, quos utraq; pars produceret; totum proceſſum abſque morae diſpendio ei remitteret, certum diem coram illo ubicunq; tunc in ſua provincia foret, partibus praefigens [d]. Et xi. kal. Aprilis ſcripſit epiſcopo a villa de Cirenceſtre, illum requirens & ea virtute obedientiae firmiter injungendo mandans, quatenus plenam & expreſſam facti veritatem de captione prioris electi, quam citius fieri poterit reſcriberet fideliter. Cui proximo die reſponſum miſit, ac inter caetera

[c] Chart. Orig. p. 76, 77, 78, 79. [d] Ibid. p. 80, 81.

explanavit

explanavit captionem & retentionem W. de Wikewane, & confratrum ſuorum in hunc modum: quod cum ipſe electus acceſſiſſet ad abbatem Weſtmonaſterienſem, tunc apud Salopiam exiſtentem, idem abbas veluti ei vehementer applaudens, eundem electum, Ricardum de Mathine, Ricardum de Burlingham, & Robertum dictum Wyther, confratres ſuos, ſequentes eum, ibidem retinebat in menſa; familia ſua equis & phaleris interim in quodam loco ſatis vicino dimiſſis. Qui quidem abbas res electi, equos & caetera bona ad locum, quo ipſe abbas moram traxerat, praecepit ſeu procuravit adduci; qua praeſumptione contra praedictum abbatem operante, electus caute volens recedere, ut graviora evitaret pericula, ab ipſo abbate commeatum recepit,

recepit, & ſic vix domum illam egreſſus ab ipſius abbatis familiaribus in porta exitus, cujus annulum tenebat in manu, detentus fuit, & per violentiam redire coactus; & illico cum ſuis commonachis cuſtodibus traditus, in totius ſanctae religionis contemptum, ac quoad humanitatem quamcunq; perniciofum exemplum, & miniſtrorum Chriſti ſcandalum manifeſtum, nec non eccleſiarum Cantuarienſis & Wygornienſis praejudicium non modicum & gravamen, in diverſis curribus tanquam famoſi latrones, diris vinculis alligati ponebantur, ſicq; inde ad Weſtmonaſterium in praedictis curribus quibuſdam fraudis & diſſimulationis velaminibus coopertis, non abſq; gravi praejudicio libertatis eccleſiaſticae clam quaſi nocturnis temporibus ducebantur;

tur: in quo quidem loco remanebant ſeorſim & ſeparatim diviſi, dirae carcerali cuſtodiae mancipati, fratre Roberto Wyther prae nimii doloris anguſtia viam univerſae carnis ingreſſo [e]. Eodem die, quo hoc reſponſum miſſum eſt archiepiſcopo, ab archiepiſcopo miſſum fuit illi mandatum, quatenus priorem, ſubpriorem, praecentorem, ſacriſtam, celerarium, camerarium, & fratrem Thomam dictum Oye, canonicos domus ſancti Oſwaldi Glouceſtre; item priorem, ſubpriorem, praecentorem, ſacriſtam, celerarium, & camerarium monaſterii majoris Malverne, ob multiplicatas contumacias excommunicationis laqueo per ſe addictos, in ſingulis eccleſiis ſuae dioeceſeos, pulſatis campanis, &

[e] Chart. Orig. p. 84, 85, 86, 87.

candelis,

candelis accenſis, excommunicatos ſolenniter & publice nuntiaret, & per alios nuntiari faceret, ipſoſq; tanquam excommunicatos ab omnibus artius evitari, quouſq; abſolutionis beneficium in forma juris meruerint optinere [f]. Quod mandatum in omnibus plene executum fuiſſe reſcripſit epiſcopus per literam ſuam datam apud Kemeſey xi. kal. Maii, anno Domini milleſimo octogeſimo tertio [g]. Fervente inter partes ſic lite, hanc contentionem rex plurimum deſiderans ſedare, mandavit epiſcopo, quod in propria perſona ſua ſit apud Montegomery a die Paſchae in xv. dies, quem terminum abbati Weſtmonaſterienſi praefixerat habendi incarceratos monachos ibidem, & ad faciendum & re-

[f] Chart. Orig. p. 88, 89. [g] Ibid. p. 104, 105.

cipiendum

cipiendum quid de conſilio ſuo in praemiſſis duceret ordinandum [h]. Recepto hoc mandato, ſcripſit archiepiſcopo xi. kal. Maii, ut excuſaretur ab intereſſe perſonaliter congregationi Londini faciendae, dans poteſtatem magiſtris W. Pikerel & R. de Vyenne ad jurandum in animam ſuam, & ſe & bona ſua obligandum, ſicut ordinatum foret & decretum [i]. Ivit epiſcopus ad Montgomery tempore praeſcripto, & ibi praeſtolatus eſt adventum domini regis uſq; ad diem Martis proximam poſt quindenam Paſchae; ſed rex nec per ſe nec per aliquos ſui concilii ibi venit. Et quia a fide dignis recepit, quod ſolenne ſolennizabat parliamentum in Marchia, ſed quo loco vel quo die tunc

[h] Chart. Orig. p. 82, 83. [i] Ibid. p. *95, 96.*

non certum, reverſus eſt, & apud Hertlebury hujus certitudinem expectare decrevit [k]. Hinc ſcripſit domino regi & ſuo concilio pro liberatione fratris W. de Wykewane a carcerali ſua cuſtodia; & miſit W. Pikerel & R. de Vyenne, quos cum Thoma de Boys procuratores ſuos fecerat in negotio tuitoriae appellationis, omnia memoranda & inſtrumenta factum majoris Malverne contingentia; fecitque eos certiores, ſe ad manum habere teſtes ſuos ſatis ſolennes, illoſq; ſine dilatione miſſurum, cum foret requiſitus [l]. Procedente lite in hac curia, nihil profecit cauſa Malvernenſium, ſed in brevi tempore epiſcopus ab examine iſtius curiae dimiſſus fuit. Nam commiſſariis archiepiſcopi,

[k] Chart. Orig. p. 100, 101. [l] Ibid. p. 92, 93, 94.

audita

audita cauſa, abbati tanquam ſuam appellationem minime proſequenti bèneficium tuitionis ſecundum curiae conſuetudinem approbatam, juſtitia exigente, denegabant: & hanc ſententiam archiepiſcopus ratam habens & firmam, ſignificavit epiſcopo per cartam ſuam dat. apud Otteford ii. kal. Maii, quod non obſtante aliqua inhibitione ſibi facta a curia Cantuarienſi, contra contumaces monachos, libere ſua juriſdictione uti liceret, & quicquid ſibi ex officio ſuo incumberet, faceret & exequeretur [m]. Et v. Idus Maii quia prior, ſupprior, praecentor, ſacriſta, celerarius, & camerarius majoris Malverne in ſua malitia gloriantes, excommunicationis ſententiam tam diu ſuſtinere non formida-

[m] Chart. Orig. p. 101, 102.

 bant,

bant, & animis induratis ſua communione populum Chriſtianum maculabant, contra eoſdem manus aggravare volens, mandavit ei, quatenus prioris mandati ſui formae inhaerens debito cum effectu, praefatos religioſos omnes & ſingulos ſic excommunicatos eſſe in majori eccleſia Wygorn. nec non & in ſingulis collegiatis & parochialibus eccleſiis ſuae dioeceſeos, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis coram clero & populo inter miſſarum ſolennia, pulſatis campanis, candelis extinctis, publice & ſolenniter denuntiaret & faceret denuntiari; inhiberetq; ex abundanti ſuae juriſdictionis ſubditis univerſis, ne quis cum eis aut eorum aliquo emendo, vendendo, comedendo, bibendo, contrahendo, vel alio quovis modo, niſi in caſu a jure permiſſo, participare praeſu-

praeſumat: quod etiam diligenter inquireret de nominibus communicantium cum eiſdem, & culpabiles citaret ad comparendum coram ſeipſo die tertia juridica proxima poſt feſtum ſanctae Trinitatis tunc proximum futurum, poenam pro meritis recepturos [n]. Quo mandato recepto, ſcripſit epiſcopus xiv. kal. Jun. archidiaconis Wygorn. & Glouc. ut hanc denuntiationem & inhibitionem diligenter in ſuis archidiaconatibus exequi curarent; eodemq; die quatuor paria literarum emanarunt officiali archidiaconi Wygorn. officiali archidiaconi Glouc. officiali domini epiſcopi Wygorn. & decano de Poywyke, quod eos publice excommunicatos ut ſupra denuntiarent, omnes quovis

[n] Chart. Orig. p. 104, 105, 106.

modo

modo cum eis communicare inhiberent, & de nominibus tranſgreſſorum diligenter inquirerent, & reos citarent, ut comparerent coram ſeipſo aut ſuo commiſſario, in ſua eccleſia cathedrali Wygorn. die tertio juridico poſt feſtum nativitatis beati Johannis Baptiſtae, poenam condignam pro demeritis recepturos [o]. Et de nominibus communicantium cum excommunicatis facta diligenti inquiſitione, mandavit iv. & v. kal. Junii & decanis de Wygornia, de Poywyke, & de Perſora, quod eos citarent ad comparendum coram domino archiepiſcopo die quarto juridico poſt feſtum Trinitatis, ubicunq; tunc foret in Cantuarienſi dioeceſi, vel provincia; ſuper illicita communione praedicta reſponſu-

[o] Chart. Orig. p. 107, 108, 109.

roſ,

ros, & juſtitiam recepturos. Haec vero ſunt nomina citandorum, Johannes Comyn, Willelmus Carcerarius de Wygorn. Johannes Oſebern, Robertus de Wychio, Stephanus Spagard, Alexander Theke, Johannes Gauge, Petrus Coyntrel, Johannes Ters, Nicholaus Joukyn, David Piſtor, Johannes Turkel, Thomas de Slocroft, Hugo de Longo Campo, Robertus de Baldenhall, dominus Willelmus de Goldynham ſeneſcallus domini comitis Glouceſtriae, Johannes Hollebrit, Galfridus de Beruwe, Milo de Malverne preſbyter, Alex. Gilbertus, Johannes le Bedel, Hugo Cocus, Robertus de la Grange, Ricardus Garſant, Robertus filius presbyteri de Baldenhale, Walterus le Brut, Johannes de Chaddeſley Glouc. Henricus del Hocke ballivus de Whyſton,

Whyſton, Willelmus de Penbroke de Stanley Regis, Johannes frater Roberti filii presbyteri de Baldenhale, Johannes Doules, Rogerus Clericus; Robertus de Berwe, Johannes Molendinarius, Walterus de la Pole, Willelmus & Stephanus filii ipſius Walteri, Ricardus Gaugy, Johannes Polle de Baldenhale, Johannes de Colethrop, Johannes de Ledebury ballivus manerii de Langeney, Alexander de Elſmore, Adam de Ledebury, Johannes de Herlyngham, Galfridus Carcerarius, Rogerus Aylmond, Johannes Agu de Langeney [p]. His rite peractis, ad ſalutem animarum monachorum & cum eis in ſententia excommunicationis innodatorum, iterum ſolicitus eſt de liberatione electi Willelmi de

[p] Chart. Orig. p. 109, 110, 111, 112.

Wyke-

Wykewane, ſcripſerat regi feſto ſancti Johannis ante portam Latinam, humillime & devote ſupplicans, ut mandare vellet abbati Weſtm. illum in manus ſuas tradere, promittens quod in omni tempore paratus foret ad ſuum mandatum reſpondere adverſariis ſuis, non dubitans quin appareret rectus in curia ſua [q]. Sed nihil proficiens apud regem, vi. idus Junii ſcripſit Hugoni de Eveſham, presbytero cardinali, & archidiacono Wygorn. affectuoſe rogans eum, quatenus contra abbatem Weſtm. & monachos majoris Malverne eccleſiam ſuam & juriſdictionem propriam archidiaconalem ſolita benevolentia defenſare vellet, & notum ei faciens quod quia frater W. de Wykewane ſuus erat conſan-

[q] Chart. Orig. p. 103, 104.

guineus, eo hactenus animoſius inſtiterat, ut a diro & vili carcere liberaretur, & continue laboraret & indeſinenter inſtaret totis viribus ad id idem [r]. Sed hi conatus irriti & vani fuere, nullum ſortiti effectum ob occupationem domini regis in Wallia, & obſtinatum animum abbatis Weſtmonaſterienſis, miſeri monachi fortunis illudentis. Eodem die, quo ſcripſit ad cardinalem, miſit literas ſuppriori, & conventui majoris Malverne ſignificans eis, ſe viſitaturum eorum monaſterium die Martis proxima poſt feſtum ſanctae Trinitatis [ſ]. Et ii. idus hujuſce menſis, commiſit praedictum viſitationis officium magiſtro Johanni officiali ſuo, ipſe non valens perſonaliter hoc facere, quia variis cauſis &

[r] Chart.Orig.p.114,115. [ſ] Ibid.p.113,114.

multis negotiis occupatus fuit; injungens ei in virtute ſanctae obedientiae, ut ea corrigeret & reformaret in ipſo quae correctione & reformatione indigerent, ut de hoc exactam poſſet in tremendo diſtricti judicii examine reddere rationem [t]. Eodemq; tempore in negotio contra communicantes cum excommunicatis Malverne commiſit vices ſuas cum coercionis canonica poteſtate ſuppriori & praecentori eccleſiae cathedralis Wygorn. nec non magiſtro Ricardo de Vyenne rectori eccleſiae de Olveſton; ita quod duo illorum unius abſentis non exſpectata praeſentia in dicto negotio prima ratione procedant [u]. Monachis Malvernenſibus non re ſed nomine tantum religioſis, in ſuis rebellionibus &

t Chart. Orig. p. 118, 119. u Ibid. p. 117, 118.

erroribus damnabilius perſeverantibus, non abſq; gravi animarum periculo ac plurimorum ſcandalo: xv. kal. Julii archiepiſcopus mandavit epiſcopo, quatenus priſtinis denuntiationibus, inhibitionibus, & coercionibus minime deſiſtens, ſed vice & auctoritate ejus, rigore quo poſſet aggravans eaſdem, monaſterium ipſum interdicto eccleſiaſtico per ſe ſuppoſitum, in ſingulis eccleſiis ſuae dioeceſeos coram cleri & populi multitudine nuntiari faceret; utque penſiones, portioneſq; fructuum vel decimarum, quas in parochiis alienis ſe poſſe percipere praetendebant, nec non fructus & obventiones quaſcumque eccleſiarum parochialium eis in uſus proprios aſſignatas, faceret ſub arto ſequeſtro & tuta cuſtodia conſervari; quod praenominatos excommunicatos ob

eorum

eorum communionem cum excommunicatis de Malverne, in ſingulis eccleſiis ſui diſtrictus per ſingulos dies Dominicos & feſtivos, excommunicationis ſententia eſſe involutos inter miſſarum ſolennia publice faceret nuntiari, peremptorieq; citaret eos, quod proximo die juridico poſt feſtum beatae Margaretae Virginis comparerent coram ipſo, reſponſuros, facturos, & recepturos quod juſtitia ſuaderet; & praeterea peremptorie citaret religioſos praefatos de Malverne, quod comparerent propoſituri & oſtenſuri praeciſe, quo jure penſiones & portiones hujuſmodi percepere, & eccleſias poſſedere, vel in praeſentiarum ſe poſſe percipere vel poſſidere praetendebant, & reſponſuri ſimiliter quare hujuſmodi eccleſias parochiales, quas in uſus proprios ſe aſſerunt optinere

tinere, non debeat pronuntiare ſeu detinere, ut de jure vacantes, eiſq; ex officio debito de perſonis idoneis providere [w]. Hoc mandatum non ſolum miſit epiſcopo Wygornienſi, ſed & omnibus venerabilibus ſuis fratribus & coepiſcopis Cantuarienſis provinciae ſuffraganeis ac eorum officialibus; hoc addito, quod quas penſiones, portiones, vel eccleſias religioſi praefati ſibi qualitercumq; debitas ſeu aſſignatas praetendebant, diſtincte & aperte ſub expreſſione locorum illi reſcriberent [x]. Hoc mandatum non omnes aequo fervore expedivere, quapropter ſcripſit epiſcopus x. Julii literam deprecatoriam epiſcopo Londinenſi, quod propter reverentiam eccleſiae,

[w] Chart. Orig. p. 119, 120, 121, 122, 123.
[x] Ibid. 123, 124, 125.

quam prior & monachi Malvernenſes damnabiliter contempſerant, celeritate ac ſolennitate debitis executiones fieri undique per ſuam dioeceſim jubere vellet; quia quod ad medelam pertinere dinoſcitur, eo exſtat diligentius exequendum, quo ex ipſius pertinacia poena gravis inducitur, & error ex tempore augetur periculo graviori [y]. iii. idus hujuſce menſis certificavit archiepiſcopo R. epiſcopus Sarum, quod mandato ſuo recepto die Jovis in craſtino tranſlationis beati Thomae martyris apud Rommesbury hora veſperarum, id diligentia exequi ſine mora mandaverat, & quod religioſi nullam eccleſiam vel penſiones vel portiones in dioeceſi Sarum obtinebant, praeter quaſdam decimas de dominico

[y] Chart. Orig. p. 129, 130.

domini

domini de la Sterte in parochia de Archesfonte, aeſtimationis circiter quadraginta ſolidorum, quas ſtatim ſequeſtrari fecerat, pro eo quod eis taliter excommunicatis ipſas contingere non licuit [z]. Dum haec peragebantur, ſed quando non liquet, per quoddam breve captionis ceperat vicecomes Wygorn. Willelmum de Ledebury, & quoſdam alios, & in priſona detinebat; ante viii. kal. Maii praeteriti hoc factum fuiſſe patet ex inhibitione curiae Cantuarienſis [a], ubi inter alias querelas abbatis Weſtm. contra epiſcopum, dicitur quod fratrem Willelmum de Lebebury incarcerari fecerat, ipſamq; incarcerationem ſuo nomine factam ratam habuit praeter modum & acceptam. Hoc

[z] Chart. Orig. p. 130, 131. [a] Ibid. 76, 77.

graviter

graviter diſplicebat abbati, cujus ex aſſidua ſolicitatione, mandatum tandem fuit per regem xx. Junii vicecomiti Wygorn. ut ſine dilatione deliberaret priorem & commonachos ſuos, & captioni eorundem & aliorum religioſorum prioratus Malverne omnino ſuperſederet, pendente lite inter epiſcopum & abbatem; ut hoc autem & alia apud regem in meliori luce ponerentur, iii. non. Julii miſit ei magiſtrum Robertum de Wychio, congratulans triumphos contra Wallenſes, exponens quod multiplices injuriae ſibi illatae fuiſſent per miniſtros ejus, quas tamen ob reverentiam regiae ejus majeſtatis hucuſq; ſuſtinuerat patienter: ne ex his querelis contingeret aliquatenus illum turbari, qui ob ſubditorum quietem noctes duxerat inſomnes, & pro pace

regni proprio periculo minime pepercerat; deprecanſq; quod literarum ſuarum delatori fidem adhibere dignaretur, & ſuper gravaminibus remedium ſalutare [b]. Rebus in Anglia ſic ſtantibus, videamus quid factum fuit in curia Romana; monſtraverat epiſcopus per petitionem ſuam, quod licet prioratus majoris Malverne lege dioeceſana ſibi ſubjectus exiſteret, tamen Willelmus prior, & conventus ejuſdem, ſe temere ſubtrahere molientes, ipſum ad viſitandum in dicto prioratu admittere, & procurationem ratione ejuſdem debitam exhibere, indebite contradicebant [c]; quodque in Willelmum priorem & Ricardum ſuppriorem auctoritate ordinaria, exigente juſtitia, excommunicationis ſententiam

[b] Chart. Orig. p. 127, 128. [c] Ibid. p. 89, 90.

promul-

gaverat, quam petiit apoſtolico munimine roborari[d]. Martinus tunc papa, ad hanc cauſam audiendam & terminandam, per bullam ſuam datam non. Aprilis, pontificatus ſui anno tertio, delegavit priores de Certeſeya & ſanctae Fredeſwyde de Oxon. ac praecentorem eccleſiae Wellenſis; mandavitq; eis quatenus vocatis evocandis, & auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum foret appellatione poſtpoſita decernerent, facerentq; illud per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari[e]. Hi a ſede apoſtolica delegati, iii id. Junii commiſſarios ſuos fecere decanum Wellenſem, magiſtroſque Walterum de Bathon. & Walterum de Brandon ejuſdem eccleſiae canonicos[f]. Qui quidem auctoritate

[d] Chart. Orig. p. 91, 92. [e] Ibidem.
[f] Ibid. 115, 116, 117.

praedicta invenientes & cognoſcentes excommunicationis ſententiam in fratres W. de Ledebury, qui ſe gerebat pro priore, & Ricardum ſuppriorem, per epiſcopum Wygorn. ob eorum & conventus loci ejuſdem manifeſtam offenſam, rationabiliter fuiſſe prolatam: juris ordine in omnibus obſervato, munimine apoſtolico eandem roboravere; decernentes ſententiam memoratam uſque ad ſatisfactionem condignam fore inviolabiliter & firmiter obſervandam. Ideoq; mandavere x. kal. Aug. officialibus dominorum epiſcoporum de Coventre & Lich. Lond. Hereford. & Wygorn. quatenus praefatos fratres ſic excommunicatos, extinctis candelis, & pulſatis campanis, more publico & ſolito, in ſingulis eccleſiis ſuis ſolenniter facerent nuntiari; inhiberentque

rentq; catholicis univerſis auctoritate praemiſſa, ne quis cum eis facto, verbo, aut modo aliquo, niſi in caſu juris, communicare praeſumeret, donec Deo reconciliati & eccleſiae abſolutionis beneficium obtinuiſſent [g]. Executionem hujus mandati per ſuas literas patentes certificavit officialis Wygorn. ii. non. Septembris, notumque fecit delegatis, quod iidem fratres poſt dictae excommunicationis ſententiam in eos rationabiliter promulgatam, tanquam ſuae ſalutis immemores ſe illicite immiſcuere divinis, in ſanctae ſedis apoſtolicae manifeſtum contemptum, periculum, vel ſcandalum undicumq; proveniens minime formidantes [h]. His literis certificatoriis receptis, de ſtatu dictorum fratrum, qui ſe

[g] Chart. Orig. p. 131, 132, 133. [h] Ibid. p. 139, 140.

aeternaliter damnare feſtinabant, dolentes effectualiter delegati, ac credentes inſpirante Domino eos ab erroribus ad ſalutis viam ſaltem per aggravationis modum celerius revocare; monaſterium ipſum majoris Malverne ob eorundem fratrum exceſſus notorios, ſuadente juſtitia, auctoritate ſedis apoſtolicae eccleſiaſtico ſuppoſuere interdicto; reſcripſeruntq; v. id. Septembris officiali Wygorn. firmiter injungentes, quatenus ab executione prioris mandati minime deſiſtens, monaſterium praedictum ſic eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitum locis & temporibus in priori mandato expreſſius declaratis, publice & ſolenniter faceret nunciari [i]. Pendente hac cauſa coram delegatis, v. id. Auguſti

[i] Chart. Orig. p. 141, 142.

epiſcopus in forma juris abſolvebat Willelmum de Penbroke a ſententia excommunicationis, quam incurrerat, pro eo quod contra inhibitiones ejus communicaſſet illicite cum monachis excommunicatis, injungens ei, quod unam diſciplinam in eccleſia ſancti Nicholai de Glouceſtre aliquo die ſolenni humiliter & devote ſuſciperet; ipſum vero a ſententia excommunicationis, quam incurrerat, pro eo quod contra inhibitiones archiepiſcopi Cantuarienſis communicaſſet illicite cum excommunitatis praedictis non abſolvebat, ſicut nec potuit; mandavitq; decanis de Glouceſtre & de Stonhus, ut illum abſolutum ab hac excommunicatione non nuntiarent, donec ſuper hoc ejuſdem domini archiepiſcopi gratiam ſimilem mereretur, & hoc per ſuas literas

ras innoteſceret [k]. Eodem die ſcripſit Waltero de Bello Campo militi, hortans in Domino & inhibens, ne monachis, auctoritate ſummi pontificis, domini archiepiſcopi, & ſua, ſic excommunicatis, majores aut minores decimas aliquas perſolveret, ſub poena majoris excommunicationis; cum eis proventus eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, quibus eccleſiae communio denegatur [l]. His calamitatibus opreſſi, & tot excommunicationis ſententiis & interdictis innodati, ad regium tutamen, tanquam ad ſolam relictam anchoram futurae ſalutis, confugiunt monachi Malvernenſes, cujus favore licentiam emendi victualia obtinuere; ſcripſit enim rex xiv. die Auguſti vicecomiti Glouc.

[k] Chart. Orig. p. 135. [l] Ibid. p. 134.

quod

quod perpendens ſi alimenta corporum hominum regni ſui ſuper hujuſmodi ſententias & denuntiationes ſubtraherentur, diſpendia manifeſta & innumerabilia de facili poſſent imminere, niſi manus ad haec apponeret adjutrices: ideo praecepit ei, quod in pleno comitatu ſuo civitatibus, burgis, & aliis villis comitatus ſui publice faceret proclamari, quod omnes cum praefatis priore & conventu, hominibus & ſervientibus ſuis, in emptionibus rerum, & venditionibus, & potiſſime victualium communicare non omitterent [m]. Rebus ſic ſtantibus, nolens epiſcopus, licet a papae delegatis & ab archiepiſcopo Cantuarienſi fulcitus, cum tanto bellicoſo rege contendere, ſcripſit ei v. kal. Septembris devoti-

[m] Chart. Orig. p. 136, 137.

one piiſſima ſupplicans, quatenus de die & loco certis dignaretur providere, quibus ad ſui praeſentiam accedere valeret, pro ſuis audiendis & recipiendis praeceptis, ac implendis eiſdem; & ut tunc praecipue veritas negotii inter ſe & abbatem, quoad ſtatum & conditiones partium, in ſui praeſentia intimaretur; ſupplicavitq; quod ſi illi placitum foret, vellet praecipere abbatem Weſtm. & fratrem Willelmum de Ledebury per ſuas literas evocari; utque idem abbas fratrem Willelmum de Wykewane, & ſuos commonachos, quos ſine culpae vitio, licet non ſine praejudicio libertatis eccleſiaſticae, detinebat in vinculis, ſimiliter ad ſui praeſentiam faceret ſecum duci; & Altiſſimo concedente, ſperabat tam ſuae eccleſiae Wygornienſi, quam

qam ſibi juſtam defenſionem competere: quanquam forſan per aemulos contrarium ſuggeſtum fuiſſet regiae ſuae dignitati [n]. Quo die acceſſionem habuit ad regiam praeſentiam ignoratur, ſed circa medium menſis Octobris apud Acton Burnel, in comitatu Salopiae, conſilio regis & conſiliariorum ſuorum haec lis tandem terminata fuit, non ſine gravi damno monaſterii de Malverne & monachorum ibidem, qui pacem ſuam emere cogebantur diſpendio ſui manerii de Knythwyke; hoc ſolum ſolatium habentes, totaliter in futurum fore exemptos a juriſdictione epiſcopi Wygornienſis. Hanc pacem ſic factam per dominum regem ac ſuos conſiliarios ratificavere prior & conven-

[n] Chart. Orig, p. 137, 138, 139.

tus per chartam ſuam ſub ſigillo capituli ſui ſigillatam apud magnam Malverne die ſancti Lucae evangeliſtae[o]. Et xx. die hujuſce menſis Octobris ſcripſit rex Willelmo le Poer mandans ei, ut in propria perſona accederet ad manerium praedictum, & praefato epiſcopo ſeu certo attornato ſuo ipſius nomine plenam ſeiſinam inde habere faceret[p]. Non multos poſt dies, viz. die Veneris, in vigilia ſancti Leonardi abbatis, epiſcopus per chartam ſuam ſigillo ſuo ſigillatam profitebatur, prioratum & monachos majoris Malverne ab omni juriſdictione epiſcopali ac ordinaria exemptos eſſe & liberos, & ſoli abbati & conventui Weſtmonaſterienſi ſubeſſe debere, ſecundum privilegia diverſorum retro

o Chart. Orig. p. 142, 143. p Ibid. p. 143.

Romanorum

Romanorum pontificum eiſdem conceſſa ; jus patronatus ſive advocationem in ipſo prioratu & monachis ad eoſdem pleno jure pertinere recognovit; omneq; jus & clamium, quae habuit vel habere potuit in futurum, ſeu poſſeſſionem vel quietam legis dioeceſanae ſeu ordinariae juriſdictionis ſibi vel praedeceſſoribus ſuis quandocunq; ſeu qualitercunq; adquiſitam, ſponte, pure, & abſolute remiſit, & eiſdem pro ſe & ſucceſſoribus ſuis conceſſit; ita quod nec priores prioratus ejuſdem, qui pro tempore fuerint, aut monachi ad obedientiam praeſtandam ſibi ſeu ſucceſſoribus ſuis pro prioratu iſto aut pertinentibus ad eundem aliquatenus tenerentur: exceptis duntaxat eccleſiis parochialibus, portionibus, & penſionibus eccleſiaſticis ad dictum prioratum per-

pertinentibus, quas in proprios uſus obtinebant; in quibus canonicam juriſdictionem ſibi & ſucceſſoribus ſuis reſervavit [q]. Et proximo die, viz. die ſabbati, prior & conventus per chartam ſuam dedere, conceſſere, & confirmavere venerabili viro Godfrido epiſcopo Wygorn. manerium ſuum de Knythwyke, cum omnibus pertinentiis, libertatibus, & conſuetudinibus ad illud pertinentibus; habendum & tenendum ſibi & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum, reddendo inde per annum unam libram cumini pro omni ſervitio, ſecta curiae, exactione, & qualibet demanda ſaeculari: his teſtibus, venerabilibus patribus R. Bathon. & Wellen. & W. Norwycen. epiſcopis; dominis Hugone de Tur-

[q] Chart. Orig. p. 144, 145, 146.

bevil,

bevil, Willelmo de Salſomariſco, Willelmo le Poer, Nicholao de Sutton, Paulino de Kerdiff, Willelmo de Bracy, Johanne de Thorndon, Petro de Salſomariſco, Roberto de Bracy, & aliis [r]. Eodemq; die per literas ſuas patentes de communi conſenſu abbatis & conventus Weſtm. tradidere poteſtatem Roberto de Bracy, & Willelmo le Poer ſub alternatione, ponendi in ſeiſinam epiſcopum de praedicto manerio [ſ]. His chartis alternatim factis & executis, ſequenti die, viz. die dominica, epiſcopus ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, latas a ſe, vel ab aliis, auctoritate ſua in priorem & monachos majoris Malverne, nec non ſervientes eorum ac in communicantes eiſ-

[r] Chart. Orig. p. 146, 147. [ſ] Ibid. 147, 148.

dem,

dem, pure, ſponte, & abſolute relaxavit; mandavitq; archidiaconis Wygorn. & Glouc. eorumque officialibus, ut omnes praedictos a praefatis ſententiis abſolutos publice in eccleſiis & mercatis denuntiari facerent, monerentq; inſuper omnes, qui aliqua bona, jura, penſiones, vel redditus ad prioratum pertinentia rapuiſſent, vel ſubſtraxiſſent quoquo modo injuſte, ut ea reſtituerent ſine mora[t]. Hoc die rex etiam per inſpeximus, donationem & conceſſionem prioris & conventus ratas habens & gratas, pro ſe & haeredibus ſuis conceſſit, & confirmavit[u]. Et ad confirmandum & corroborandum omnia, frater Willelmus de Ledebury prior habens ad

t Chart. Orig. p. 148, 149, 150.

u Ibid. p. 150, 151.

haec

haec plenam poteſtatem, coram venerabilibus patribus, dominis R. Dei gratia Bathon. & Wellen. tunc domini Edwardi illuſtris regis Angliae cancellario, W. Norwycen. epiſcopis; & dominis J. de Kyrkeby, R. de Hengham, Joh. Lovetot, Nicholao de Stapelton, Willelmo de Brompton, S. de Roff. Waltero de Wymburn, & aliis tunc de concilio domini regis exiſtentibus ibidem, ad perpetuam rei memoriam pro ſe & conventu ſuo recognovit, & publice fatebatur, quod ipſi acquietarent & defenderent in perpetuum epiſcopum & ſucceſſores ſuos, contra nobilem virum dominum W. de Bellocampo com. Warr. & vicecomitem Wygorn. & haeredes & ſucceſſores ſuos, & contra omnes gentes, de omni ſervitio, exactione, ſecta curiae, & ſaecu-

lari demanda quacunq; debita & conſueta pro manerio de Knythwyke, quod dicti prior & conventus cum conſenſu & voluntate abbatis & conventus Weſtm. dederant & conceſſerant praedicto epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. Ad haec abbas Weſtm. recognovit & bona fide promiſit in praeſentia praeſcriptorum, quod cum novus prior foret creatus in prioratu praedicto majoris Malverne, ille cum ſuo conventu innovaret, ratificaret, & confirmaret omnia ſupradicta & caetera inſtrumenta, confecta inter praedictos epiſcopum & priorem; quae omnia promiſit debere fieri & expediri citra feſtum nativitatis beati Johannis Baptiſtae tunc proximo venturum. Dat. & act. apud Weſtm. vi. idus Novembris, anno regni regis Edw. filii

regis

regis Henr. undecimo[x]. His nihilominus ex omni parte confirmatis, & corroboratis, quidam impediebant epiſcopum, quo minus poſſeſſione praedicta gauderet; praecepit igitur rex vicecomiti Wygorn. per breve ſuum, quod in propria perſona ſua accederet ad manerium praedictum, & praefatum epiſcopum ſeiſſiri faceret de illo, & ipſum in ſeiſſina manuteneret, protegeret, & defenderet, & reſiſtentes areſtari & ſalvo cuſtodiri faceret, donec aliud ſuper hoc in mandatis haberet. Dat. apud Hereford xv. die Novembris, anno regni ſui undecimo[y]. Hae tranſactiones auctoritate regia confirmatae, ſine aſſenſu archiepiſcopi, immo illo inconſulto, ita primati diſ-

[x] Chart. Orig. p. 151, 152, 153.
[y] Ibid. 153, 154.

plicuere, ut in literis ſuis dat. apud Perſore eodem die ut ſupra, ſignificaret epiſcopo, quod licet pacis & concordiae foedera prompto favore proſequi affectaret, ea tamen divinitus abhorrebat, quae pro pace hominis tranſitoria, eam quae ad Deum eſt perimebant pacem veram; admirari quae per ora loquentium fide dignis relatibus divulgato rumore vix credibili didiſcerat, quod ille juriſdictionem ſuam in priorem & conventum majoris Malverne & ſede eccleſiae Wygornienſis vacante ſibi pertinentem, pro certis poſſeſſionibus temporalium rerum hac occaſione illi conceſſis, penitus remiſerat: quod non abſq; juris injuria, ſuaeq; Cantuarienſis eccleſiae libertatis eluſione ſuiq; praeſtiti juramenti potuit aliquatenus attemtare, quocirca requirebat & rogabat eum, quatenus juxta

juxta ſibi datam a Deo prudentiam, exactiſſima diligentia cogitaret & decerneret, quid in praemiſſis liceret ſecundum aequitatem, quid expediret ſecundum utilitatem, quid deceret ſecundum canonicam honeſtatem; ne praefata compoſitio ſe & ſua eccleſia ſpretis celebrata, utpote ſymoniaca, in irritum revocaretur [z]. Reſcripſit epiſcopus ſe per aliquem de ſuis ejus animum & opinionem ſerenare tempeſtive curaturum, ita quod nec ſymoniacae pravitatis macula ſibi aliqualiter impingi poſſet, ſeu quod in cujuſquam praejudicium ſe quicquam attemptatum fuiſſet [a]. Ita tandem haec lis diu agitata terminata per regem fuit, ſed non ſine ſecreta tam epiſcopi quam monachorum diſplicentia; nam abbas &

[z] Chart. Orig. p. 155, 156. [a] Ibid. 157.

conventus

conventus Weſtm. ſua petitione ad Honorium papam monſtravere, quod licet mediantibus bonis viris amicabilis compoſitio intervenerat inter ipſos & epiſcopum Wygorn. de jure viſitationis prioratus majoris Malv. & aliis articulis eidem pertinentibus: epiſcopus tamen hanc compoſitionem, quam prius acceptaverat, obſervare indebite contradicebat, quo circa papa per apoſtolica ſua ſcripta mandabat abbatibus de Waltham & de Abyndon, & praecentori eccleſiae Wellenſis, quod epiſcopum ad abſervationem compoſitionis hujuſmodi, ſicut fuit juſta & ab utraque parte ſponte recepta, & in alicujus praejudicium non redundans, monitione praemiſſa, ſua auctoritate cogerent. Dat. Tibure id. Julii, pontificatus ſui anno primo,

mo [b], viz. anno Domini MCCLXXXVI. & quoad monachos, in concilio epiſcopi Wygorn. habito apud Hertlebury die beati Stephani anno pontificatus ejuſdem XXXII. & anno Domini MCCC. prior & conventus majoris Malverne, mutatis & ſedatis tunc animis, & pro amiſſione bonorum forſan perturbatis, petivere pro rehabendo manerio de Knythwyke. Sed reſponſum fuit, hanc petitionem non eſſe concedendam ſine voluntate domini regis, & quod hoc vergeretur in periculum & damnum eccleſiae Wygornienſis [c]. Sed ut hiſce malis aliquo modo modo ſubveniretur, in proceſſu temporis Walterus Maydeſton epiſcopus Wygorn. XVII. kal.

[b] Chart. Orig. p. 158, 159. [c] Ibid. p. 159.

De-

Decembris MCCCXIV. ſecundo conſecrationis ſuae anno, ad petitionem prioris & conventus appropriavit eiſdem eccleſiam de Poywyke, ſalva ſibi & ſucceſſoribus ſuis pontificali cathedrae, nec non archidiaconi loci archidiaconali, in omnibus dignitate; & in tempore viſitationis ſuae quatuor marcis argenti, nomine procurationis, ſalva etiam una marca argenti eccleſiae ſuae cathedrali Wygornienſi [d], quam dicti religioſi de Malvern in ſignum ſubjectionis, & temporalis damni recompenſationem gratis obtulerunt religioſis Wygornienſibus eandem gratis acceptantibus [e], ſalvaque portione vicariae, qnam ad duodecim marcas taxavit. Et tertio poſt die Ricardus

[d] Chart. Orig. p. 164; 165, 166, 167, 168.
[e] Ibid. p. 171, 172.

de

de Froma, procurator Hugonis prioris, & conventus, cedente Ada de Herwynton tunc rectore, inveſtitus fuit in ea per birretum epiſcopi [g], & eodem die, viz. xiv. kal. Dec. ſcriptum fuit archidiacono Wygorn. ad inducendum dictos religioſos per praedictum procuratorem, in corporalem poſſeſſionem dictae eccleſiae [h]. Hanc appropriationem ratificavere Johannes prior Wygorn. & ejuſdem loci cupitulum, xviii. kal. Febr. anno ſupradicto: ac etiam appropriationem eccleſiae de Langeleg eis factam per S. quondam Wygorn. epiſcopum ob nimiam ejuſdem domus paupertatem, & frequentem hoſpitum & pauperum ibidem refugium ſalvo jure dioeceſcano & ho-

[g] Chart. Orig. p. 178, 179. [h] Ibid. p. 180, 181.

neſta vicaria quinque marcarum aſſignandarum in altaragio dictae eccleſiae [i]. In appropriatione rectoriae de Poywyke dicitur, quod hoc monaſterium fundatum fuit ad ſuſtentationem viginti ſex monachorum, & triginta pauperum inibi continue degentium in poſſeſſionibus tunc habitis, nec non manerio de Canterbauhan cum eccleſia parochiali ejuſdem, Menevenſis dioeceſeos; eccleſia de Lauhmain, praebenda in eccleſia Menevenſi, manerio de Foleford Coventr. & Lich dioeceſeos, eccleſia parochiali de Pichetote Lincoln. dioiceſeos, & manerio de Knytewyke; quae omnia & ſingula abſque eorum fraude, dolo, vel culpa, prae commotionibus guerrarum & devaſtatione rerum

i Chart. Orig. p. 164, 165. 166, 167, 168.

tam

tam in Wallia quam in Anglia ab iiſdem tunc in perpetuum ſuere deperdita & ablata. Remanebant tamen eis maneria de Nova Terra, Wortefeld, Powyk, Longeney in com. Wygorn. Northwode in com. Salopiae, villa de Hatfeld,& terrae in Baldenhale, & Malvern, & diverſae terrae & tenementa in Brannesford & Leye, & quaedam decimae aeſtimationis quadraginta ſolidorum in parochia de Archesfonte in dioeceſi Sarum [k]. Habuere etiam ſibi appropriatas eccleſias de Longeney, Poywyke, & Malverne, & patronatum eccleſiarum de Hanleye in decanatu de Poywyke, de Upton Snodesbury in decanatu de Perſore, & de Eſtlech ſancti Martini in decanatu de Fayrford com.

[k] Chart. Orig. 172, 173, 174, 175.

Glouc. Tempore diſſolutionis hujus prioratus per Henricum octavum valebat ſecundum Dugdalium 308 *l.* 1*s.* 3*d.* per annum ; ſed ſecundum Speed 375 *l.* o. 6½. Situm hujus domus dedit rex Gulielmo Pinnocke, qui abalienavit eundem Johanni Knoteſeford, ſervienti ad arma, cujus filia Anna nupſit Gulielmo Savagio e ſtirpe perantiquae familiae Savagiorum de Rock Savage, com. Ceſtr. arm. a quo haereditario jure devenit ad Thomam Savagium de Aumeleio Caſtro in agro noſtro Wiccienſi armig. quo nunc gaudet Domino generoſiſſimo.

Habuere

Habuere Priores.

Patronos ALwinum tempore Willielmi Conqueſtoris.

Walcherum, cujus verbis qui non credebat injuriam religioni fecit, dicit W. Malmesbury, l. 3. p. 65. l. 44. ob. 1. Oct. MCXXXV [a].

Rogerum 5. H. 2. MCLIX. cujus tempore Willelmus Burdet arm. dedit huic prioratui Aucotam in agro Warwicenſi, quae ab inde cella fuit [b].

Walterum MCLXV.

[a] Ex inſcript. ſuper tumulum. [b] Dug. Antiq. War. p. 815.

Patron. Walterum inſtitutum MCLXXXXI [c].

Willielmum Normannum MCCXXII.

Thomam qui obiit MCCXLII.

Johannem.

Fratrem Willelmum de Ledebury MCCLXXIX.

Richardum de Eſtone, obiit 3. Non. Martii MCCC.

Hugonem circa annum MCCCXIV [d].

Fratrem Johannem Malv. MCCCCXXXV [e].

Ricardum Dene MCCCCLXII [f].

Ricardum Bone [g].

[c] Chart. Orig. p. 96, 97. [d] Ibid. p. 178. [e] Reg. 22. Bourch f. 10. b. [f] Reg. 22. carp. v. 1. f. 177. b. [g] In feneſtris coloratis eccleſiae de Malverne.

Patron.

Patron. Ricardum Frewen.
Maculinum Ledbury 11 Febr. MDIII. qui fuit ſupprior tempore Ricardi Frewen [h].
FratremThomamKegworth xx Jan. MDXI [i].

Quando rectoria de Malverne huic prioratui appropriata fuit, non liquet, & nomina tantum quatuor vicariorum inveniuntur in regiſtris noſtris ante diſſolutionem.

Incumbentes & tempora inſtit.

Gareland de Ledebury pbr. admiſſus fuit ad vicariam ſancte Thome majoris Malver. & inſtitutus ſimiliter in eadem, in craſtino depoſitionis ſancti Wulſtani epiſco-

h R. 26. Sylv. f. 33. a. i Ibid. f. 75. b.

Patron.

Patron. pi & confeſſoris, anno MCCLXXXVII. anno conſecrationis G. Giffard XIX [i].

Prior & Conventus Malverne. Thomas de Blotherington, Rect. de Tynnesberg, Bathon. & Wellen. dioc. permutavit cum Ricardo de la Felde vicario de majoris Malverne quarto kal. Aprilis MCCCXXXVIII [k].

Wills. Martyn pbr. nono die Nov. MCCCLIV. vacavit per reſignationem domini Thomae [l].

[i] Reg. Giffard fol. 289. a. [k] Hemenh. f 15. b. [l] Brian f.

Excerpta

Excerpta ex Annalibus eccleſiae Wigornienſis [m].

ANNO MLXXXV. major Malvernia fundata eſt per Alwinum monachum.

Anno MCCXXXIII. Dominica Quinquageſimae dominus epiſcopus, ſopita controverſia inter ipſum & priorem majoris Malverniae ſuper ſubjectione & viſitatione, admiſſus fuit ſolemniter cum proceſſione apud Malverniam, & procuratur. In craſtino intravit capitulum, & praedicavit cauſa viſitationis.

Anno MCCXXXIV. Dominica Quadrageſimae dominus epiſcopus procuratus fuit cauſa

[m] Angl. Sacr. p. 1. p. 474.

viſitationis apud majorem Malverniam.

Anno MCCXXXVI. Confirmavimus monachis de Malvernia majori decimas de dominico ſuo apud Malverniam & apud Powik.

Anno MCCXXXVIII. Dominus epiſcopus iterum viſitavit majorem Malverniam, & correxit corrigenda.

Anno MCCXLII. Mortuo Thoma priore Malverniae majoris, epiſcopus vacante prioratu habuit inde cuſtodiam : & facta examinatione ſuper electione J. ſuccedentis coram abbate & conventu Winchecumbae, confirmavit eum, & per officialem epiſcopi inſtallatur, facta epiſcopo canonica

canonica obedientia, abbate Weſt-monaſterii ſe opponente.

Anno MCCLXXVIII. ii. idus Aprilis aſſiſa fuit ſuper montem Malverniae, inter epiſcopum Hereford. Thomam de Cantelupo, & comitem Glouceſtrie Gilbertum; quae dixit chaciam eſſe ſolius epiſcopi uſque ad cacumen montis.

Anno MCCLXXXII. Eps. Godefridus viſitavit monachos majoris Malverniae, qui accuſaverunt priorem ſuum crimine peſſimo. Unde poſtea contigit quod v. cal. Octobr. cum epiſcopus ſederet ad menſam apud Kemeſeye, iv. monachi de eadem domo proſtraverunt ſe ante epiſcopum iterato conquerentes de priore: qui in craſtino rediit, & priorem depoſuit: ille

depoſitus fugam iniit, & ſcandalo addidit apoſtaſiam.

Anno MCCLXXXIII. xiv. cal. Julii vicecomes Wigorn. cepit W. de Ledebury & complices ſuos per praeceptum regis, qui per multum tempus ſententia majoris excommunicationis fuerant innodati, quia idem W. apud majorem Malverniam nomen prioris contra juſtitiam uſurpavit.

Eodem anno Godfridus admiſit terram de Knithewyk, ne majorem Malverniam viſitaret, ſicut ipſe aliquando fecit, & ſui praedeceſſores epiſcopi Wigorn. fecerant ab antiquo.

Anno MCCLXXXV. iii. non. Julii Johannes archiepiſcopus apud Malverniam majorem viſitavit,

ſitavit, & conventum ibidem abſolvit a ſententia excommunicationis.

Anno MCCLXXXVII. vi. cal. Decembris abbas Weſtmonaſterii Willelmum de Ledeburi priorem majoris Malverniae depoſuit, cui ſucceſſit Ricardus de Eſton, qui erga Willelmum de Wykewone aliquando extitit ingratus . . . Quia beſtiae ſylvae tranſeuntes terminos Herefordenſes frequenter ibant, & non revertebantur, Gilbertus comes Glouceſtriae ſuper Malverniae montes foſſatum fecit.

Anno MCCLXXXIX. xvii. cal. Januarii, Willelmus de Braci fuit ſepultus apud Malverniam majorem.

Anno

Anno MCCXCI. Tunc confirmavimus ſcriptum inter epiſcopum Wigorn. & comitem Gilbertum Glouceſtriae de foſſato Malverniae; in quo dicitur, quod vigilia Aſſumptionis duo dami, & vigilia Nativitatis Domini duae damae dabuntur epiſcopo annuatim, & nobis idem dabitur ſede vacante.

Anno MCCC. iii. non. Martii obiit Ricardus de Eſtone majoris Malverniae dictus prior, cujus bonitatem plures ſentient non habendo.

Willelmus Normannus Malverniae prior Simoni priori Wigorn. depoſito ſubrogatus eſt ab epiſcopo MCCXXII. reclamante conventu; poſt biennalem

lem litem in arbitros utrinque compromiſſum eſt. Horum decreto Willelmus jus ſuum reſignavit MCCXXIV. iii. Octobr. aſſignato ſibi manerio de Clive [n].

[n] Anl. Sac. p. 1. p. 548.

Chartae

ERRATA.

IN *Antiq.* p. xxxviii. l. 3. *captum.* p. lxxxvii. l. antep. dele *modo.* p. lxxxix. l. 13. *capitulum.*

In Deſcr. Eccleſ. p. 2. l. ult. *coelos.* p. 4. l. 5. adde *natu* ante *maximus.* p. 16. l. 15. *dextra.* p. 17. l. 26. *albo, in quadra angulari.* p. 18. l. 7. *infirmus.* p. 23. l. 26. *rubre.* p. 27. l. 15. *ſcutum, per palum unitum altero.* p. 28. l. 21. *anni.* p. 30. l. 7, & 8. *in imo, poſitis :* ib. l. penult. *cruciatas.* p. 32. l. 20. *1696.*

Philoſophus Dignus, Bonus Aſtrologus, Lotheringus,
Vir pius, ac humilis Monachus, Prior hujus Ovilis,
Hic jacet in ciſta, Geometricus, ac Abaciſta,
Doctor Walcherus, flet Plebs, dolet undqiue Clerus,
Huic lux prima mori dedit Octobris Seniori,
Vivat ut in coelis, exoret quiſque fidelis.

In Chartis, p. 86. l. 18. *perniicioſum.* p. 90. l. 19. dele *favore.* p. 158. l. 10. dele *cur.* p. 180. l. 3. *plenius.* p. 182. l. 11. poſt *ſuper* adde *terram ſunt.* p. 184. l. 1, & 3, *eandem.* p. 186. l. 16. *mei.*

Chartæ Originales

ILLUSTRANTES

ANTIQUITATES PRIORATUS

Majoris *MALVERNE.*

Ex Regiſtro GODFRIDI GIFFARD.

Preſentatio Willelmi de Ledebury electi in Priorem.

VENERABILI patri in Chriſto, Godfrido Dei gratia Wigornienſi epiſcopo, frater Ricardus ſupprior majoris Malverne, & humilis ejuſdem loci conventus, ſalutem, & tam debitam quam devotam cum omni humilitate reverentiam & obedienti-

am. Cum dilectum fratrem & commonachum noſtrum Willelmum de Ledebury in priorem noſtrum canonice elegerimus, ac abbas & conventus Weſtmonaſterienſis eundem ſibi a nobis canonice preſentatum, ad quos hoc attinet, rite approbaverint, reverende paternitati veſtre humiliter ſupplicamus & devote; quatinus, id quod vobis incumbit in hac parte, juſtitia mediante favorabiliter exequi velitis, nullum nobis, ſi placet, aut eccleſie noſtre diſpendium irrogando. Valeat ſanctiſſima paternitas veſtra ſemper in Domino. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum commune preſentibus eſt appenſum. Dat. in capitulo noſtro Malverne IV. non. Marcii, anno gratie millesimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono [a].

Litera abſolutionis Prioris majoris Malverne pro contumacia contracta.

GOdfridus permiſſione divina epiſcopus Wygorn. dilecto in Chriſto filio .... priori monaſterii majoris Malverne, ſalutem, gratiam & benedictionem. Cum ſententiam ſuſpenſionis a celebratione divinorum, per noſtros commiſſarios in te latam, ob vicium contumacie, non obtemperando noſtris mandatis, contracte, in forma juris fe-

[a] Fol. 169. 2.

cerimus

cerimus relaxari: conſtetque dominos Ricardum de Mathine, ſuppriorem, Galfridum de Walecot, precentorem, & Willelmum de Wyke, ſacriſtam veſtri monaſterii memorati, eadem ſententia ex predicta cauſa eſſe ligatos, ad relaxandam ſententiam hujus quoad perſonas eorum tibi poteſtatem tribuimus tenore preſentium ſpiritualem. Dat. apud Weſton ſub Egge VII. kalend. Jun. milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo. Comparuit ſiquidem dictus prior, & cum eſſet per magiſtros R. de Vienne, & R. de Wychio domini poteſtatem habentes ſub hac forma: G. permiſſione divina epiſcopus Wygorn. dilectis in Chriſto filiis magiſtris R. de Vienne & R. de Wychio, clericis noſtris, ſalutem, gratiam & benedictionem; ad inquirendum in domo ſeu monaſterio majoris Malvernie ſuper quibuſdam articulis, quorum correctio ad nos noſcitur pertinere: & referendum nobis ſuper hiis fiducialiter quid inveneritis, & faciendum omnia & ſingula que premiſſa contingunt, correctione nobis ſalva, veſtre diſcretioni cum cohercione canonica committimus vices noſtras. Dat. apud Wyke juxta Wygorniam IX. kalend. Junii, anno noſtre conſecrationis XIV. a celebratione divinorum ſuſpenſus pro contumacia, relaxationem hujus ſententie preſtito per eum juramento de parendo juri & mandato domini meruit optinere,

ac ad relaxandam ſententiam hujus latam in ſuppriorem, precentorem, & ſacriſtam ſue domus vice domini epiſcopi poteſtatem optinuit ſpecialem [b].

Memorandum de viſitatione Epiſcopi craſtino beati Mathei Apoſtoli.

MEmorandum quod craſtino beati Mathei apoſtoli, anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, dominus epiſcopus viſitavit prioratum majoris Malverne predicando in capitulo, cujus ſermo talis erat: *Veniam & deſcendam ſuper vos*, &c. Et quia fratrem Willelmum de Ledebury priorem eo tempore, variis exceſſibus & enormitatibus convictum invenit, ipſum depoſuit, & penitus abſolvebat a regimine prioratus ipſius ſibi commiſſo, videlicet in vigilia beati Michaelis [c].

Litera domino Abbati Weſtmonaſterienſi directa.

MAgne religionis viro, domino . . . . Dei gratia abbati Weſtmonaſterienſi, Godfridus permiſſione ejuſdem miniſter eccleſie Wygornienſis, ſalutem in eo qui eſt omnium fidelium vera ſalus. Ex quo-

[b] Fol. 140. b. & 141. a. [c] Fol. 151. b.

rundam

rundam ſubditorum noſtrorum gravi conqueſtione didiſcimus, quod cum frater Willelmus de Wykewane ad officium prioratus majoris Malverne, tam de jure quam de facto vacantis, electus; ad vos nuper veniſſet, ut vos ipſum electum, ſecundum tenorem cujuſdam compoſitionis inter vos ex parte una, & dictum prioratum confecte ex alia, ad nos remitteretis, prout juſtum fuerit, expediendum: vos minus ſano uſi conſilio, prefatum electum equitaturis & vecturis ſuis ſpoliatum, ſub cuſtodia carcerali tenetis, contra canonicas ſanctiones, quibus cavetur, nullum falcem mittendo in meſſem alienam alterius parochiam judicare debere, cum eum non poterit ordinare. Licet tamen pro tam gravi & tam notorio exceſſu, in regie majeſtatis prejudicium, noſtri contemptum, & eluſionem libertatis noſtre ecclesie, quam tueri debemus ut poſſumus, perpetrato: contra vos artius procedere poterimus, ſi vellemus, veſtre tamen reverentie & amicitie prius ad vos habite deferentes; vos rogamus & monemus, exhortantes in Domino, quatenus quod minus caute actum eſt, cautius revocantes, memoratum electum reſtitutis ſibi ablatis ad nos abſque difficultate aliqua remittatis; alioquin ſub conniventia diſſimulationis preterire non poſſumus, quin contra vos ſecundum quod juſtum fuerit, procedamus. Dat. apud Bredon

XVII.

XVII. kalend. Novembris, anno gratie milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo [d].

Reſponſio Abbatis Weſtmonaſterienſis.

VEnerabili patri in Chriſto & domino reverendo, domino Godfrido Dei gratia epiſcopo Wygorn. R. permiſſione ejuſdem miniſter Weſtmon. domini pape capellanus, cum recommendatio ** ** * [e]. Veſtros apices, qui quatuor articulos continebant ad minus, ſcilicet de vacatione, de electione, de detentione, & de ablatione; non amoti per legitimum amotorem, non electi per debitos electores, non detenti ſed ad locum ſuum certum remiſſi, non ſpoliati, quia propria a vero poſſeſſore dicuntur nuperrime ſpoliari: gaudenter recepi. Et quia non a vobis, ſed a non veris relatoribus proceſſerunt premiſſa, que nullam omnino continent veritatem, ut temporis proceſſu patebit: venerande paternitati veſtre reſcribo, narrata in ſui aliqua parte vera non eſſe, & iccirco petita fieri non debere. Valeat dominatio veſtra juſta ſemper in Domino [f].

[d] Fol. 159. a. [e] Regiſtrum quidem habet, *cum recommendationem ſe ipſam*, ſed de hoc dubitatur. [f] Fol. 159. a.

Litera deprecatoria ad dominum Wellenſem & Bathon. Epiſcopum.

G. Suo amiciſſimo ſuus idem quod ſibi, ſalutis. Cum nuper declinaremus ad monaſterium majoris Malverne, noſtre dioceſeos, more ſolito viſitando : invenimus fratrem Willelmum de Ledebury, quondam priorem, illegitimum, dilapidatorem, irregularem, delirum, fornicationis, adulterii, & inceſtus criminibus, non minus quam cum viginti & duabus mulieribus, notorie diffamatum ; ſuper hiis igitur articulis ſibi editis, & ſuis reſponſionibus habitis, & de veritate preſtito juramento, in monaſterio & extra de premiſſis inquiſivimus diligenter, appertiſque atteſtationibus, earum cum effectu oblata ſibi copia, & dicendi in teſtes & ipſorum dicta, facultate conceſſa, cum idem nil rationabile proponeret coram nobis, & omnia manifeſte facerent contra eum ; ab adminiſtratione prioratus predicti ipſum ſollempniter depoſuimus, & demum . . . . ſupprior & conventus loci ipſius, fratrem Willelmum de Wykewan, quem ſanctum virum novimus & diſcretum, ſibi in priorem concorditer elegerunt ; ipſumque cum ſuis literis ad . . . . abbatem Weſtmonaſterienſem ob ſuum impetrandum aſſenſum, una cum quibuſdam ſuis confratribus

&

& laicis aliis, ſecundum eorum conſuetudinem, tranſmiſerunt; quem electum & omnes aſſiſtentes eidem, idem . . . . abbas carcerali cuſtodie mancipari precepit, ac in vinculis ferreis detinet in preſenti, quantum in eo eſt jus, juriſdictionem, & libertatem noſtre eccleſie violando, ac in predictos monachos manus injiciendo per ſe & alios temere violentas, & ſic excommunicationem majorem multipliciter incurrendo; ſed nos eundem abbatem rogavimus & monuimus quod . . . . electum & alios ſupradictos priſtine reddet libertati, licet ipſe nobis ſuper hiis contemptibiliter reſpondet, & eum quamvis exemptum, tamen circa rem non exemptam, taliter delinquentem, citari fecimus, quod compareat coram nobis ſuper predictis, ipſa rei evidentia, tam notoriis, juſtitiam facturus & pariter recepturus. Ipſe vero ob hec temeritatem erigens contumacem, ſalvo honore ſuo, minus bene contra pacem domini regis, & ſue eccleſie privilegia, ſuggerit nos veniſſe, aſſerens nos nullam juriſdictionem habere in prioratu predicto, a quibus privilegiis, ſi que fuerint, per actus multiplices & contrarios eſt receſſum. Nos enim & noſtri officiales, juxta conſuetudinem predeceſſorum noſtrorum, ibidem omnem juriſdictionem exercuimus, & de juriſdictione noſtra ac predeceſſorum noſtrorum hujuſmodi & antiquiſſima ac poſſeſſione

ſione quieta noſtrorum noſtrique per teſtes infinitos ſed & per inſtrumenta nonnulla . . . . abbatum Weſtmonaſterienſium ſigillata ſigillis liquere poterit evidenter. Propter que, de veſtra amicitia ſpecialiſſime confidentes, rogamus attente, quatenus domino regi hanc veritatem pro nobis intimare velitis, apud eum inſtantes, quod nos uti juriſdictione noſtre eccleſie debita, licenter permittat ; & pro incarceratis predictis intuitu juſtitie de regia benignitate remedium oportunum concedat ; & nobis ſignificantes quid ſuper hiis a domino rege receperitis, & videritis expedire. Ad hec ſciatis, quod malum noſtrum antiquum jam ad octo dies preteritos in altero pede noſtro, nos graviter moleſtavit : ſed in brevi Deo propitio convaleſcere credimus & ſperamus. Bene & diu in Domino valeatis. Dat. apud Bredon XVI. kalend. Novembris [g].

Citatio Abbatis Weſtmonaſterienſis.

GOdfridus permiſſione divina epiſcopus Wygornienſis dilectis filiis . . . priori eccleſie conventualis de Perſore, & magiſtro W. de Cherynton, rectori eccleſie de Stoke Prioris, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Tum ex religioſorum virorum . . . ſupprioris & conventus majoris Malvern noſtre dioceſeos gravi querimonia, tum ex

[g] Fol. 158. b. 159. a.

facti evidentia, nobis innotuit, quod vacante nuper prioratu predicto, monachi ejuſdem ad electionem canonice procedentes, fratrem Willelmum de Wykewane commonachum ſuum elegerunt unanimiter in priorem, qui cum electionis ſue confirmationem petiturus ad nos iter paraverit veni endi, frater Ricardus, abbas Weſtmonaſterienſis, ipſum electum, quoſdam de ſuis confratribus, & bona quam plurima dicti prioratus auſu ſacrilego invadendo, & ipſos carcerali cuſtodie vi armata & hoſtiliter mancipando, juriſdictionem noſtram impedivit nequiter & turbavit, & adhuc impedire non deſinit, prefatos monachos in diro carcere detinendo. Licet dictus prioratus tam quoad legem dioceſanam, quam juriſdictionis, nobis pleno jure ſit ſubjectus: idemque abbas in ipſo prioratu nullam juriſdictionem ordinariam habeat, aut etiam delegatam: cumque ex officii noſtri debito ipſum fecimus canonice commoneri, ut prefatis monachis redditis libertati a talibus inſolentiis ſe cohibere curaret, quodque noſtram juriſdictionem ſic amplius non turbaret: ipſe via veritatis derelicta, in ſpiritu prioris rebellionis perſiſtens, prefatos monachos cum bonis predictis artius ſolito detinet, & cohartat, jura, juriſdictionem, & libertates eccleſie noſtre Wygornienſis infringendo, & ipſam quantum in eo eſt jure ſuo privando, ac

per

per malitiam ſpoliando; propter quod in ſententiam excommunicationis incidit editam contra tales. Quocirca vobis mandamus quatenus prefatum abbatem in monaſterio ſuo de Perſore citetis peremptorie, quod compareat coram nobis die lune proxima poſt feſtum ſancti Leonardi in conventuali eccleſia Theokisbury, ſuper tam notorio exceſſu reſponſurus, facturus, & recepturus quod dictaverit ordo juris. Et quod ſuper premiſſis feceritis, nobis diſtincte, & aperte, conſtare faciatis, per literas veſtras patentes harum ſeriem continentes. Dat. apud Bredon XV. kalend. Novembris, anno ſupra dicto [h].

Altera citatio contra Abbatem Weſtmonaſterienſem.

REverende diſcretionis viro . . . . officiali domini archidiaconi Salop. G. &c. ſalutem in ſalutis auctore. Tum ex religioſorum virorum, ſupprioris & conventus majoris Malvern, &c. *ut ſupra de verbo ad verbum uſque verba* : Propter quod in ſententiam excommunicationis incidit editam contra tales.

Cum itaque delinquens ad locum delicti fuerit remittendus, ut qua in provincia de-

[h] Fol. 159. a.

liquerit

liquerit, ibidem pena canonica merito conteratur: vos ex mutue viciſſitudinis officio, requirimus & rogamus, quatenus prefatum abbatem in veſtra juriſdictione ut dicitur commorantem peremptorie citetis, quod in conventuali eccleſia Theokesbury die lune proxima poſt feſtum beati Leonardi, &c. *ut ſupra* [i].

Reſponſe.

CEt vous fet aſſaver autre a voſtre attorne ſire eveske de Wyreceſtre, ke le . . . . official de ercedeakne de Salopsbure ad voſtre lettre luwe devant le abbe de Weſtmeſter en la abbeye de Salopsbure ou meſmes le abbè eſt herbige, e il ly diſt. ke il ne voleyt de li nule ſomounſe reſceivre, ne del erceoveske de Cant. nul dur, pur tant com il fuſt en le luy, ou il eſt ore; autre reſpons del official aver ne po ay.

Litera regia pro Abbate Weſtmonaſterienſi.

EDwardus, &c. venerabili in Chriſto patri, Godfrido eadem gratia Wygornienſi epiſcopo, ſalutem. Ex parte dilectorum

i Fol. 159. b.

nobis

nobis in Chriſto, abbatis & conventus Weſt-monaſterienſis, nobis eſt oſtenſum, quod cum eccleſia ſua cum membris ſuis que de fundatione noſtra exiſtit, ſancte Romane eccleſie immediate eſt ſubjecta, & per ſummum pontificem taliter ſit munita, ne quis juriſdictionem aliquam ordinariam exercere valeat in ipſa eccleſia, vel membris ſuis antedictis; vos nuper prioratum majoris Malverne, quod eſt unum ex membris predictis, ingredientes, priorem ejuſdem loci propria auctoritate depoſuiſtis, & diverſos obedientiarios & miniſtros ibidem amoviſtis, & alios loco ipſorum ſubrogaſtis, & quoſdam armatos ibidem poſuiſtis; qui homines predictorum abbatis & conventus expulerunt, & bona predicte domus devaſtarunt & conſumpſerunt, & alia enormia ibidem intulerunt, ad grave dampnum ipſorum abbatis & conventus, & leſionem privilegiorum ſuorum, & libertatum ſuarum ſibi a regibus Anglie progenitoribus noſtris conceſſarum. Nos igitur, qui eccleſiam predictam & perſonas ejuſdem inter alios regni noſtri religioſos favore proſequimur ſpeciali, & quas & quarum bona in protectionem & defenſionem noſtram ſuſcepimus; talia ſi perpetrata fuerint ſub diſſimulatione tranſire nolentes, preſertim cum nec vos nec predeceſſores veſtri talia retroactis temporibus attemptare preſumpſeritis: paternitati ve-

ſtre

ſtre mandamus, rogantes quatenus attendentes premiſſa nobis eſſe cordi, ab hujuſmodi infeſtationibus taliter deſiſtere, & premiſſa prout juſtum fuerit corrigere; & prefatos priorem & alios in priſtino ſtatu ſuo reduci faciatis, quod non oporteat nos amplius ſuper hoc ſollicitari. T. meipſo apud Rothelon. XVIII. die Octobris, anno regni noſtri decimo [k].

Abſolutio Monachorum a ſententia excommunicationis, quam incurrerant ob contemptum juriſdictionis domini Epiſcopi.

MEmorandum quod frater Ricardus de Wygorn. dictus de Meillur, monachus majoris Malvern, venit apud Bredon VIII. kalend. Novembris, milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, qui quidem Ricardus una cum quibuſdam confratribus ſuis propter ſuam contumaciam multiplicem auctoritate domini epiſcopi Wygornienſis majoris excommunicationis ſententia fuerat innodatus; ſuper cujus abſolutione ſibi impendenda gratiam ipſius epiſcopi petiit humiliter & devote, ſub debito preſtiti ſacramenti, in preſentia magiſtrorum Nicolai de Aylleſbure & Ade de Brechenok & ali-

k Fol. 161. b.

orum

orum ibidem exiſtentium, promittens ſe nunquam juriſdictionem, nec jura epiſcopi memorati, ope, facto, conſilio vel favore impedire, ac etiam electionem factam de fratre Willelmo de Wykewane, ratam habere, quo facto predictus dominus epiſcopus eum in forma juris abſolvit, mandans decano de Poywike litteratorie quod eundem Ricardum ſic abſolutum faceret nuntiari.

Item frater Johannes de Perſore nuper excommunicatus eadem forma & modo, erat abſolutus apud Bredon III. kalend. Novembris.

Item frater Symon de Wygornia monachus Malvern apud Bredon coram epiſcopo comparens die Animarum fuit beneficium abſolutionis conſecutus.

Item dominus epiſcopus commiſit vices ſuas decano de Poywike, abſolvendi fratres Petrum de Wychio & Johannem de Alynceſtre, monachos Malvern majoris, quia ipſi predictum dominum adire nequiverant, propter eorum debilitatem & ſenectutem.

Item frater Willelmus de Alynceſtre III. non. Novembris comparens apud Bredon, modo quo ſui confratres ſupradicti, abſolutionis beneficium optinuit.

Item frater Johannes de Wyke monachus eiſdem forma & modo apud Bredon VIII. iduum Novembris beneficium abſolutionis optinuit, anno ut ſupra.

Johannes

Johannes Vinour de Poywike clericus eſt abſolutus in forma juris VIII. kalend. Decembris a ſententia excommunicationis, quam incurrerat communicando cum fratre Willelmo de Ledebure, quondam priore majoris Malverne, anno ut ſupra.

Iſti ſunt in forma juris abſoluti apud Bredon a ſententia excommunicationis, quam incurrerunt communicando cum excommunicatis majoris Malverne, & impediendo juriſdictionem domini Wygorn.

Rodulphus, ballivus . . . . abbatis Weſtmonaſterienſis apud Perſore.

Walterus de Publynton, ballivus ejuſdem abbatis apud Morton & Langeley.

Willelmus Cayſho & Agnes Thony de nova terra, que habuit diem ſe purgandi ſuper incontinentia habita inter fratrem Willelmum de Ledebure & ipſam, die ſabbati in vigilia beati Nicholai coram . . . . officiali archidiaconi Wygorn. apud Poywyke.

Item Alanus de Cante, clericus.

Hi ſunt nomina expellentium cuſtodem domini . . . . epiſcopi, temporalium majoris Malverne:

Henricus de Northwich, vicecomes Wigornienſis.

Robertus clericus ejus.

Robertus

Robertus le Deakne.
Adam Ravel.
Johannes Joybert.
Ricardus Grente.
Eadmundus de Camera.

Hi ſunt nomina monachorum majoris Malvern contempnentes juriſdictionem domini epiſcopi:

Frater Willelmus de la Were.
Frater Ricardus le Meillur.
Frater Willelmus de Alynceſtre.
Frater Johannes de Perſore.
Frater Johannes de Wyke.
Frater Robertus de Poywyke.
Frater Simon de Wygornia.

Hi ſunt nomina laicorum impedientium juriſdictionem epiſcopi:

Stephanus de la Welputte.
Hugo de Machine.
Ricardus le Orpude.
Willelmus Benſet.
Walterus Cocus.
Johannes Wampage de Perſore (abſolutus apud Bredone in forma juris XIII. kalend. Decembris.)

Johannes Cocus.
Willelmus de Brehenoke.
Rogerus de Kylpeke de eccleſia.

Acceptantes fratrem Willelmum de Ledebure excommunicatum:

Johannes de Aucredeham.
(abſolutus eſt in forma juris apud Weſton a ſententia excommunicationis, quam incurrebat modo quo ſupra)
Henricus de Couleg.
(abſolutus eſt die, loco, & modo, quibus dictus Johannes)
Willelmus atte Wode de Cotyndon com. Hereford.[1].

Pronuntiatio excommunicationis in quoſdam monachos majoris Malverne.

GOdfridus, &c. dilecto filio . . . . decano de Poywyke, ſalutem, &c. Quia humani generis inimicus non ceſſat hiis temporibus ſubtiliter indagare modos, quibus in Dei eccleſia ſeminet zizaniam, ut ea pullulante in ipſius denſitate, pacis tranquillitas & virtutum ſuavitas magni Domini ſuffocentur; cujus tortuoſe calliditati eſt remedio celeri obviandum, ut ſic principiis occurratur

[1] Fol. 151. b. & 152. b.

curratur, ne morbo in immenſum augmentato, ſero medicina paretur. Ut igitur per prudentiam eccleſie error corrigatur & exceſſus emendetur, vobis iterato, & per proceſſum ſepius revolutum mandamus, quatenus aſſumptis vobiſcum quatuor vel quinque vicinis rectoribus ſeu vicariis, ad locum majoris Malverne accedatis, & ſpecialiter fratres Willelmum de la Were, ac Alanum Clericum commorantem ibidem, & omnes alios quoſcumque eiſdem adherentes conſilio, auxilio ſeu favore; una cum fratre Willelmo de Ledebury, quos in hiis ſcriptis excommunicamus, excommunicatos fore ſingulis diebus feriatis & non feriatis in ſingulis eccleſiis totius decanatus veſtri, pulſatis campanis, candelis accenſis, ſolempniter denuntietis. Ad hec quoſcumque religioſos ſeculareſque in hac parte juriſdictionem noſtram impedientes inveneritis, eoſdem ſimili cenſura eccleſiaſtica puplice & ſolempniter innodetis; inhibentes monachis omnibus & ſingulis predicti loci, ne fratrem Willelmum de Ledebury excommunicatum noſtrum proprietarium, ordinis ſubverſorem, regule tranſgreſſorem, inibi receptent ſeu admittant. Scituri quod ſi contra preſens mandatum noſtrum aliter fuerit attemptatum, illud decernimus in hiis ſcriptis penitus fore nullum, & viribus totaliter cariturum. Quid autem ſuper hiis feceritis,

nos per literas veſtras patentes harum ſeriem continentes poſt completionem premiſſorum in ſerie antedicta reddatis certiores. Dat. apud Bredon VIII. kalend. Novembris, conſecrationis ut ſupra [m].

Pronuntiatio ſententie excommunicationis late in fratrem Willelmum de Were, Monachum Malverne.

GOdfridus, &c. decano de Poywyke, ſalutem, &c. Cum frater Willelmus de Were, monachus majoris Malvern, nuper per nos majoris excommunicationis ſententia fuerit innodatus, juſtitia exigente, ob ſuas contumacias manifeſtas, ipſeque communioni fidelium ſe ingerat inconſulte: in eadem ſententia excommunicationis perdurans, in clavium eccleſie & noſtre juriſdictionis contemptum; ne ſui contagione tam nepharia gregem Dominicum inficiat, tibi mandamus, quatenus in omnibus & ſingulis eccleſiis tui decanatus, nequis cum eo quovis genere communionis communicet, ſub pena anathematis publice inhibeas, & facias inhiberi; ac demum tue inhibitionis hujuſmodi contemptores excommunicatos ſollempniter facias nuntiari, donec de ſuo contemptu Deo & eccleſie ſatisfecerint com-

[m] Fol. 159. b.

petenter.

petenter. Et qualiter noſtrum mandatum fueris executus, & de nominibus communicantium cum excommunicato predicto citra feſtum ſancti Leonardi per tuas literas patentes harum ſeriem continentes, nos cures apertius certiorare. Dat. apud Bredon III. kalend. Novembris, anno XV. noſtre conſecrationis [n].

Sententia excommunicationis contra invaſores bonorum Prioratus majoris Malverne.

GOdfridus, &c. decano de Poywyke, ſalutem, &c. Ex parte ſupprioris & conventus monaſterii majoris Malverne nobis fuit graviter conquerendo monſtratum, quod quidam ecclesie filii degeneres & miniſtri Sathane ſuum predictum monaſterium, nunc prioris regimine deſtitutum, non ſine ſacrilegii vitio expoliantes, arbores excreſcentes ibidem ſuccidunt, equos, boves, animalia & bona ſua alia invadunt hoſtiliter; que perperam occupant, & auſu nephandiſſimo in ſuos uſus convertunt, ac injurias multiplices ſibi & ſuo monaſterio irrogant impudenter. Nolentes igitur quod bona predicta, que nunc noſtre defenſioni & cure ſubjacere noſcuntur, preſumptione tam

[n] Fol. 160. a.

nepharia

nepharia taliter devaſtentur: tibi precipimus & firmiter injungimus, quod prefatos ſacrilegos, quos conſtat in majoris excommunicationis ſententiam ipſo facto dampnabiliter incidiſſe; ſic excommunicatos in ſingulis eccleſiis tui decanatus, in genere puplice & ſollempniter facias nuntiari. Deinde ſuper hiis inquiras cum diligentia veritatem, & quos ſic circa premiſſa inveneris notorie ipſa facti evidentia deliquiſſe, legitime moneas & inducas efficaciter, & ſi oportuerit per cenſuram eccleſiaſticam, compellas, quod Deo & eccleſie ſatisfaciant competenter; non notorios vero preſumptores hujus cites peremptorie, quod ad certum diem in proximo conſiſtorio Wygorn. coram officiali noſtro legitime compareant, juſtitiam pro demeritis recepturos. Nichilominus in eiſdem eccleſiis tui decanatus, nequis bona monaſterii ſupradicti, nunc prioris ſolatio viduati, invadere aut contra juſtitiam occupare preſumat, in majori fidelium preſentia ſub pena anathematis puplice facias inhiberi. Qualiter vero noſtrum mandatum fueris executus, nos & officialem noſtrum citra feſtum beati Eadmundi epiſcopi & confeſſoris certifices per tuas literas patentes harum ſeriem continentes. Dat. apud Bredon II. kalend. Novembris, anno ut ſupra [o].

[o] Fol. 160. b.

Commiſſio

Commiſſio abſolvendi Fratres Petrum de Wychio & Johannem de Alynceſtre, monachos majoris Malverne.

GOdfridus, &c. decano de Poywyke, ſalutem, &c. Cum fratres Petrus de Wychio & Johannes de Alynceſtre, monachi prioratus majoris Malvern, ex communione ſuorum confratrum quorundam, excommunicationis ſententiam incurrerint inconſulte; qui ob ſuam debilitatem incorpoream ad abſolutionis beneficium optinendum nullatenus ad nos poſſunt accedere, tibi precipimus, quod pure & abſolute, preſtito juramento de parendo mandatis noſtris, eoſdem in prioratu predicto in forma juris cures abſolvere vice noſtra; quibus ſi amplius non deliquerint, in virtute juramenti predicti injungas, quod ope, facto, verbo, conſilio vel favore noſtram juriſdictionem, jura ſui prioratus & noſtra, ac electionem de fratre Willelmo de Wikewan nuper factam ibidem, de cetero non impediant, aut perturbent, nec impedientibus vel perturbantibus conſentiant quoquomodo. Ad hec fratres Symonem de Wygornia & Willelmum de Alynceſtre, monachos dicte domus, qui excommunicationis ſententiam latam in eos, ob ſuas contumacias manifeſtas, contempnunt, in ſuarum animarum periculum: excom-

excommunicatos ſollempniter puplice facias nuntiari, & diſtrictius inhibeas ſub pena anathematis, ne quis modo aliquo communionis communicet cum eiſdem. Et quid ſupra hiis feceris nobis citra feſtum beati Leonardi aperte reſcribas. Dat. loco, die, & anno ſupradictis [p].

Memorandum de viſitatione Epiſcopi & ejectione Cuſtodis ſui.

MEmorandum quod dominus Godfridus Dei gratia Wygornienſis epiſcopus craſtino die beati Mathei apoſtoli, anno ſupradicto, prioratum majoris Malverne in capite & in membris viſitavit; & quia fratrem Willelmum de Ledebury, tunc priorem loci ejuſdem, variis exceſſibus & enormitatibus convictum invenit, ipſum depoſuit, & a regimine ipſius prioratus ſibi commiſſo penitus abſolvebat; ac prioratum ipſum tanquam verus patronus ejuſdem in manibus ſuis ſumpſit, & Henricum de Wynton, clericum ejuſdem prioratus, deputavit cuſtodem: qui quidem Henricus a die Jovis proxima poſt feſtum beati Michaelis, uſque in diem Jovis proximam poſt feſtum omnium Sanctorum, ipſum prioratum vice & nomine predicti domini epiſcopi pacifice

[p] Fol. 160. b.

cuſtodivit;

cuſtodivit; & tunc idem Henricus a prioratu predicto & cuſtodia ejuſdem per vicecomitem Wygorn. de mandato domini regis fuit expulſus. Cujus mandati tenor talis eſt: Edwardus, &c. vicecomiti Wygornienſi, ſalutem. Quia prioratus majoris Malverne eſt vacans, ut intelleximus, & cuſtodia ejuſdem ad nos pertinet, ratione vacationis predicte; tibi precipimus quod ſtatim viſis literis iſtis, adeas in propria perſona tua prioratum predictum, & illum cum omnibus maneriis & pertinentiis ſuis capias in manum noſtram, & ſalvo cuſtodias, donec aliud inde tibi dederimus in mandatis; ita quod de exitibus eorundem poſſis nobis reſpondere ad ſcaccarium noſtrum. T. R. de Northwode apud Salopiam III. die Novembris, anno regni noſtri decimo [q].

Cuſtodia majoris Malverne per epiſcopum Wygornienſem commiſſa Henrico de Wynton.

UNiverſis ſancte matris eccleſie filiis, ad quorum notitiam pervenerit hec ſcriptura, Godefridus Dei gratia epiſcopus Wygornienſis, ſalutem in Domino ſempiternam. Univerſitati veſtre tenore preſentium innoteſcat, quod nos ad habendam, tenendam pa-

[q] Fol. 161. a.

riter,& ſervandam cuſtodiam prioratus majoris Malverne, noſtre dioceſeos, pro tempore vacationis durantis ibidem, quoad ſpiritualia: dilectum clericum noſtrum Henricum de Wynton exhibitorem preſentium noſtro nomine deputamus, ſalvo jure noſtro quoad cuſtodiam in temporalibus inibi ſimiliter, prout hactenus habuiſſe noſcimur, optinendam, pro tempore vacationis hujuſmodi nunc & alias quandocumque; quam quidam vice & nomine domini noſtri regis Anglorum ſemper illuſtris, forſan preter ipſius cuſtodiam, ad ſuggeſtionem mendacis partis, de facto tenent & habere contendunt. Quos quidem ob reverentiam & ſtatum domini noſtri regis predicti, quem ad ſui regni & totius eccleſie Anglicane defenſionem, preſidium, & munimen, armis bellicoſis eſſe novimus occupatum: hac vice cum patientia tolleramus abſque ultione qualibet per ſpiritualem gladium facienda; ne ex eorum injuria, ipſius domini noſtri regis propoſitum, quod abſit, impediri contingeret, animumve turbari. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum fecimus litteris hiis appendi. Dat. apud Bredon VII. iduum Novembris, anno ut ſupra [r].

[r] Fol. 161. a.

Acta

Acta de Theokesbury.

ANno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, die lune proxima ante feſtum ſancti Martini, in eccleſia conventuali Theokesburye, coram nobis Godfrido Dei gratia epiſcopo Wygorn. auctoritate ordinaria ex officio noſtro procedentibus in negotio quod vertitur ſeu verti ſperatur contra fratrem Ricardum de Ware, abbatem Weſtmonaſterienſem, qui noſtram juriſdictionem nequiter perturbavit; videlicet cum nobis conſtaret legitime prefatum abbatem, ad dictos diem & locum peremptorie fuiſſe vocatum, pro ſuo demerito juſtitiam recepturum; prout in certificatoriis ſuper hoc confectis plenius continetur; predictum abbatem voce preconia pluries evocatum, & more ſolito puplice preconizatum, diutius exſpectavimus pro tribunali ſedentes. Et quia idem abbas ſui preſentiam coram nobis aliquatenus facere non curavit, ipſum exigente juſtitia reputavimus contumacem: ad majeſtatem regiam, in cujus obſequio idem abbas commoratur, ſolummodo reſpectum habentes, penam ei uſque in proximum diem litis diſtulimus infligendam. Decernentes ipſum fore peremptorie vocandum, quod compareat coram nobis proximo die juridico poſt feſtum

beati Andree apoſtoli in eccleſia parochiali de Campeden, ſecundum tenorem retro actorum facturus & recepturus quod juſtitia ſuadebit[f].

Secunda citatio contra Abbatem Weſtmonaſterienſem.

GOdfridus, &c. dilecto filio . . . . . decano de Poywyke, ſalutem, gratiam & benedictionem. Cum fratrem Ricardum de Ware, abbatem Weſtmonaſterienſem, ſuper detentione & incarceratione fratris Willelmi de Wykewane, electi prioratus vacantis majoris Malverne noſtre dioceſeos, ac turbatione jurium juriſdictionis & libertatis noſtre eccleſie Wigorn. & aliis ſuis exceſſibus notoriis, ad certos diem & locum coram nobis peremptorie fecerimus evocari, reſponſurum & facturum quod juſtitia ſuaderet, ipſeque die & loco eiſdem preconizatus ſepiſſime & pupblice, ac diutius exſpectatus ſui preſentiam facere nullatenus coram nobis curaret, & propter hoc ipſum reputaverimus contumacem, juſtitia ſuadente: infligendam contumacie ſibi penam, ob reverentiam domini regis, in cujus obſequio commoratur, in diem litis proximum differentes, ac decreverimus iterato ipſum

f Fol. 162. a.

fore

fore citandum. Tibi precipimus & firmiter injungimus per preſentes, quod fratrem Ricardum abbatem eundem, vice iterata in maneriis ſuis de Langele & de Morthon cites peremptorie & teſtato, quod in eccleſia parochiali de Campeden proximo die juridico poſt feſtum beati Andree apoſtoli, legitime compareat coram nobis, ſuper notoriis ſuis exceſſibus reſponſurus, facturus & recepturus quod poſtulaverit ordo juris. Et quid ſuper hoc feceris, nobis diſtincte & aperte conſtare facias per tuas literas patentes harum ſeriem continentes Dat. apud Bredon VI. iduum Novembris, anno noſtre conſecrationis quinto decimo [t].

Decano de Perſore omnia & ſingula de verbo ad verbum ſicut ſuperius, excepto manerio de Perſore.

Excommunicatio contra falſo vendicantes juriſdictionem in Prioratu majoris Malverne.

GOdfridus, &c. dilecto filio . . . decano de Poiwike, gratiam & benedictionem. Cum nuper in prioratu majoris Malverne, noſtre dioceſeos, viſitationis officium exercentes, amoto ab adminiſtratione pro demeritis fratre Willelmo de

[t] Fol. 163. a,

Ledebury tunc priore loci ejuſdem, fratribus Ricardo de Burlingham, & Ricardo de Frome regimen temporalium dicti prioratus, uſque ad creationem futuri prioris, commiſimus prima ratione; quidam iniquitatis filii, ac juriſdictionis noſtre finium invaſores, falcem in alienam meſſem mittentes, amotis dictis officialibus & aliis per nos ibidem creatis, alios inibi ſubdole ſubrogarunt, & amotos excommunicationis vinculo de facto ut dicitur innodarunt, quamquam juriſdictionem ordinariam ſeu delegatam in dicto prioratu ſibi nequeunt vendicare. Quocirca tibi mandamus, quatinus adjunctis tibi duobus rectoribus ſeu presbyteris parochialibus, ad dictum locum perſonaliter accedas, & in eodem ac ſingulis eccleſiis tui decanatus, vice & auctoritate noſtra in genere excommunicantes, & excommunicatos per te & alios facias nuntiari, omnes illos quorum ope, conſilio aut conſenſu, commiſſum tam execrabile fuerit perpetratum, & omnes illos qui dictis excommunicatoribus ſeu excommunicatori paruerint, ſimili ſententia involvas, & nunties involutos. De nominibus excommunicatorum ſeu excommunicatoris, & ſubrogatis officialibus pretaxatis ac obedientibus eiſdem, diligentem inquiſitionem facias, & quos reos inveneris ac eiſdem adherentibus quoquomodo cites peremptorie, quod compareant coram nobis

in

in capella noſtra de Bredon die lune proxima poſt feſtum ſancti Martini, pro demeritis juſtitiam recepturos, & ulterius procuraturos quod dictaverit ordo juris. Denuntians inſuper predictas ſententias tam erronice promulgatas, caſſas, irritas & inanes. Quid autem ſuper hiis feceritis nos dictis die & loco reddas certiores per tuas literas patentes, harum ſeriem continentes. Dat. apud Bredon V. idus Novembris, anno ut ſupra [u].

Litera Epiſcopi directa Johanni Archiepiſcopo Cantuarienſi pro monachis incarceratis.

SAncto patri & domino reverendo ſi libet Johanni Dei gratia Cantuarienſi archiepiſcopo, totius Anglie primati, Godfridus permiſſione divina Wygornienſis eccleſie miniſter humilis, ſalutem, & ſe tanquam ad vota ſui precipui preceptoris reverenter paratum cum ſubjectione devota. Super eo quod ad noſtri inſtantiam pro electo monaſterii majoris Malverne, noſtre dioceſeos, quem cum quibuſdam monachis in ſua comitiva exiſtentibus, abbas monaſterii Weſtmonaſterienſis non abſque ſui gravi periculo, noſtri etiam ac eccleſie noſtre Wygornienſis

[u] Fol. 162. a.

gornienſis prejudicio & offenſa notoria, capi fecit & carcerali cuſtodie mancipari, contra canonicas ſanctiones; nuper compatientes eiſdem, ipſi abbati veſtras literas direxiſtis. Tanti patris clementie, quamquam ad id ſufficere minime valeamus, gratiarum impendimus multiplices actiones; verum an . . . . abbas ipſe vobis reſcripſerit ſuum nuntium, ignoramus, & ſcimus conſtanter, quod quoad eorum liberationem, nichil egit omnino, ſed eos detinet ſeverius ut dicitur in carcere ſic detruſos: prout lator preſentium vobis poterit apertius exprimere oraculo vive vocis, cui ſi libet in hiis & aliis que veſtre ſanctitati noſtro nomine exprimenda duxerit, adhibere dignemini plenam fidem. Ad hec indubitanter vos ſcimus eſſe memores, qualiter auctoritate veſtra eccleſiam de Campeden noſtro contulimus capellano, cujus collocatio per vos approbata extitit ſubſequenter, ſed idem capellanus effectu & propoſito penitus eſt fruſtratus, pre domini Eadmundi de Mortuo mari potentia, qui ipſam eccleſiam de facto huc uſque poſſedit. Ob quod veſtre paternitati ſupplicamus attente, quatinus prefatum Eadmundum nunc optinentem hereditatem paternam, ſi placet velitis inducere & rogare, ut dictam eccleſiam prefato presbytero dimittat libere & in pace, ac eum non inquietet de cetero ſuper ea,

ut

ut ſic factum ſubſequens culpam precedentem ſi que fuerit facilius relevet, & ſue ſanet ſalubrius conſcientie leſionem. Dat. apud Bredon IV. iduum Novembris, anno ut ſupra [x].

Petitiones Epiſcopi ad curiam Regis faciende contra Malverne.

CONqueritur Godefridus epiſcopus Wygornienſis domino regi, quod licet ſui predeceſſores & ipſe, a tempore a quo memoria non exſtat, omnem omnino juriſdictionem habuerint in prioratu majoris Malverne, Wygornienſis dioceſeos, & eam exercuerint: priorem & monachos, clericos ac laicos commorantes & miniſtrantes ibidem viſitando, corrigendo, & reformando tanquam lege juriſdictionis & lege dioceſana ſibi ſubjectos; de novo tamen abbas Weſtmonaſterienſis eundem epiſcopum ſuper premiſſis moleſtat multipliciter & perturbat. Dictus ſiquidem abbas, nuper viſitationis officio ſalubriter ibidem ut decuit per epiſcopum predictum completo, fratreque Willelmo de Ledebury a regimine prioratus ipſius ex juſtis & legitimis cauſis depoſito ſeu amoto: ac illis de conventu libere electione ſibi conceſſa, fratrem Wil-

[x] Fol. 162. a.

lelmum de Wyckewane commonachum ſuum eligentibus canonice & concorditer in priorem, eundem electum cum quibuſdam monachis in ſua exiſtentibus comitiva, non abſque juris offenſa cepit ſeu capi fecit, vel captionem hujuſmodi fieri mandavit, ſeu ipſam captionem factam ſuo nomine ratam habuit: ipſoſque electum & monachos equis ſuis & rebus aliis ad dictum prioratum ſpectantibus nequiter ſpoliatos, in dirum carcerem retrudi fecit; quos, tanquam ſue ſalutis immemor, licet ſuper eorum liberatione requiſitus multotiens, detinet ſic detruſos: juriſdictionem ipſius epiſcopi, & ſue viſitationis effectum impediens minus juſte, & ipſius eccleſie Wygornienſis jura ac libertates per malitiam ſcienter infringens. Ob quod liquet evidenter, prefatum abbatem cum ſuis complicibus & fautoribus quibuſcumque in majoris excommunicationis ſententiam, latam in concilio Oxonienſi contra tales, dampnabiliter incidiſſe. Et licet ipſe abbas ſuique complices & fautores, ſic poſſent excommunicati per Cantuarienſem provinciam puplice nuntiari, dictus tamen epiſcopus ob reverentiam domini regis & ſtatum regni huc uſque diſtulit exequi contra eos; unde petit epiſcopus ſupradictus ſuper premiſſis, ſibi ſueque eccleſie Wygornienſi quod juſtum fuerit exhiberi, ne forſan aliqui ratione auctoritatis eiſdem abbati

bati ſuiſque complicibus & fautoribus quod abſit preſtite, per eoſdem ſententia excommunicationis hujuſmodi involvantur, & mereantur penam, pena ipſis malefactoribus debita, graviorem. Petit etiam epiſcopus memoratus ante omnia, prefatum electum ac monachos, a carcere quo incluſi tenentur, per prefatum regem liberari & ſue reddi priſtine libertati ; ut ſic ſi in aliquo deliquerint quoad eccleſiaſticas vel ſeculares perſonas, libere valeant reſpondere, & defenſionibus ſuis uti. Item conqueritur epiſcopus memoratus ut ſupra, quod licet ipſe pro tempore quo epiſcopus extitit, cuſtodiam dicti prioratus pro ſingulis vacationibus tam in ſpiritualibus quam in temporalibus habuerit inconcuſſe : abbas tamen predictus abſque conſideratione domini regis & ſue curie, ipſum epiſcopum a prefata cuſtodia, poſſeſſione ipſius vel quieta jam dejecit de novo, ſub eo colore vicecomiti Wygorn. procurando ſcribi, prioratum predictum in manum domini regis capi per R. de Northwode, ſub parvo ſigillo ad ceram viridem deputato, ac ſi cuſtodia ipſa pro tempore vacationis hujus ad dominum regem totaliter pertineret, per literas ſuas. Et ſub iſto colore abbas predictus ſuos familiares dimittit ibidem, qui bona prioratus ipſius, tam interius quam exterius indebite diſſipant & conſumunt : dictum epiſcopum &

ſuam eccleſiam Wygorn. ſua poſſeſſione vel quieta quoad hec contra juſtitiam ſpoliando. Item prefatus abbas ſub premiſſo colore, dicto epiſcopo vel electo quaſcumque perſonas quomodo libet adherentes capit & incarcerat indiſtincte, abſque precepto domini regis, extra formam que in regno Anglie hactenus eſt obtenta. Unde petit idem epiſcopus ſibi & eccleſie ſue Wygornienſi contra hujus injurias & moleſtias, ſalvo jure cujuſlibet, quoad cuſtodiam dicti prioratus pro vacationis tempore obtinendam, per curiam regiam remedium adhiberi [y].

Litera domino Antonio Beke directa.

VEnerabili viro & amico ſi libet, domino Antonio Beke, archidiacono Dunelmenſi, ſuus devotus ad vota Godfridus permiſſione divina epiſcopus Wygorn. ſalutem, & paratam promptitudinem complacendi cum gratia Salvatoris. Pro noſtris & noſtre eccleſie Wygorn. negotiis, veſtre diſcretioni magnifice veraciter exponendis, caros nobis in Chriſto magiſtrum Robertum de Wychio clericum, & dominum Adam de Avebury capellanum noſtrum ad vos ſub ſpe conſilii & juvaminis optinendi, dux-

[y] Fol. 162. b.

imus

imus deſtinandos, quorum aſſertioni quatenus negotia hujuſmodi contingere dinoſcitur indubitatam fidem dignemini ſi libeat adhibere, eoque favore quem noſtre exhibetis preſentie perſonali. Extra hoc quod a remotis partibus licet cum gravi labore reverſi eſtis ſani & incolumes, nova nos applauſio jam refecit, & ſub ea fiducia quam ſemper in vobis invenimus noſtro cordi & animo complacentem, pro noſtris, &c. *ut ſupra.* Statum veſtrum conſervet Altiſſimus, cum honoris augmento. Dat. apud Bredon II. iduum Novembris [z].

Litera directa domino Bathonienſi & Wellenſi.

SUo.... Bathonienſi & Wellenſi ſuus.... Wygorn. cum ſalute ſeipſum. Pro negotiis noſtris & eccleſie noſtre Wygorn. veſtre paternitati & domino regi veraciter exponendis: caros nobis & familiares noſtros, magiſtrum Robertum de Wychio clericum, & dominum Adam de Avebury capellanum ad vos cum plena fiducia quoad veſtri conſilium & juvamen habenda duximus deſtinandos. Quorum aſſertioni quatenus negotia hujuſmodi contingere dinoſcitur, indubitatam fidem dignemini ſi libeat

[z] Fol. 163. a.

adhibere

adhibere, & cum eo favore quem quoad hec noſtre exhibetis preſentie perſonali. Data eadem que ſupra [a].

Interdictum Malverne.

GOdfridus, &c. . . . . decano de Poywyke, ſalutem. Tibi precipimus & firmiter injungimus, quod omnibus aliis negotiis pretermiſſis hac die Martis, craſtina ſummo mane, una cum aliquibus rectoribus, vicariis, ac aliis clericis & teſtibus, in majori Malverna perſonaliter tuam preſentiam exhibeas, paratus una cum noſtro clerico, quem reperies tunc ibidem, noſtras ſententias puplicare ſecundum tenorem & modum quos in noſtris literis tibi tradendis per eum, inſpicere poteris manifeſte. Et hec facere nulla penitus occaſione omittas. Dat. apud Bredon XVI. kalend. Decembris, anno ut ſupra.

Godfridus, &c. dilectis filiis . . . . abbatibus . . . . . prioribus . . . . . archidiaconis eorum officialibus . . . . . decanis . . . . rectoribus & vicariis univerſis per dioceſim Wygornienſem conſtitutis, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Multiphariam hoſtis antiquus deſolationem inducere

[a] Fol. 163. a.

ducere ſatagens & ruinam noviſſime hiis diebus, adeo quorundam regularium noſtre dioceſeos oculos obcecavit ; ut viam veritatis & ſue profeſſionis tramitem non agnoſcant, rectoriſque proprii fugientes intuitum, lupi rapacis ymaginaria tantum cornua pretendentis figmenta ſequantur, & ſub beati Benedicti exteriori habitu, Sathane ſerviant ipſo actu, dum omnia ſue primarie inſtitutioni contraria, & que occaſionem vagandi tribuunt promptis affectibus amplectuntur. Siquidem cum nuper ad monaſterium majoris Malverne quod hactenus conſuevit, non abbatis ſed ſola prioris ſollicitudine gubernari, more noſtro ac predeceſſorum noſtrorum accederemus perſonaliter debitum viſitationis officium exercentes ibidem : invenimus fratrem Willelmum de Ledebury, tunc prioratus ipſius regimini incumbentem, natalium honore carentem, irregularitatis perpetue labe notatum, inceſtus, adulterii & omnis incontinentie criminibus multipliciter & notorie diffamatum. Propter quod capitulis ſuper hiis ſibi editis, habitis ſuis reſponſionibus negativis, & de veritate dicenda preſtito juramento, tam in ipſo prioratu quam extra ſuper criminibus ſupradictis, per viros fide dignos & teſtes omni exceptione majores inquiſivimus cum ſumma diligentia veritatem, & atteſtationibus puplicatis illarum ſibi oblata copia cum effectu

&

& juris ordine in omnibus obſervato. Cum idem frater Willelmus, licet in toto noſtro proceſſu ſuam corporalem preſentiam exhiberet, verumtamen pro ſe nichil rationabile curaret proponere, quod in hac parte diffinitivam ſententiam retardare poſſet aliquatenus vel deberet. Nos Dei nomine primitus invocato, & juris peritorum nobis aſſidentium communicato conſilio; cum atteſtationes predicte in ſingulis contra eum facerent evidenter: ipſum fratrem Willelmum a regimine prioratus majoris Malverne ſententialiter duximus deponendum. Sed idem furtive clauſtri cuſtodias reſpuens, & exiliens ultra ſepem horridam & foſſatum non minime altitudinis, dicti monaſterii ſecum pecunias & res alias aſportavit, & vagus ſicut canis ad vomitum rediens, loca ſuſpecta, in quibus predicta crimina convictus fuerat commiſiſſe, repetit impudenter. Quem tamen ſepius fecimus commoneri ut ad clauſtrum rediret, facturus penitentiam pro commiſſis humiliter, ſecundum beati Benedicti regulam ſibi infligendam: ſed monitionibus hujus contemptis ab eo, ſicut indies ſua contumacia excreſcebat, & juſtitia requirebat, primum ſuſpenſionis, & excommunicationis majoris poſtea, ipſum ſententiis innodavimus; deinde omnes communicantes eidem ob nimiam contumaciam ſimilibus ſententiis involventes. Sed ecce fratres

Willelmus

Willelmus de la Were, Ricardus dictus le Meillur, Willelmus de Alynceſtre, Johannes de Perſore, Johannes de Wyke, Robertus de Poywyke, & Symon de Wygornia, licet excommunicationis hujus ex communione ipſius nepharia ſententias incurriſſent, ad nos tamen ſingillatim & perſonaliter accedentes, a nobis in forma juris abſolutionis beneficium impetrarunt; quibus ſub preſtito juramento injunximus & omnibus aliis inhibuimus, legitime commonentes coſdem, ne ſibi facto vel verbo communicarent de cetero, donec Deo reconciliatus & eccleſie de ſua contumacia ſatisfactionem debitam exhiberet. Verumtamen dicti fratres ſuo contempto juramento cum excommunicato predicto communicare puplice preſumpſerunt, predictas ſententias iterato & taliter incurrentes, & ipſum fratrem Willelmum de Ledebury non per portam vel per hoſtium, ſed aliunde tanquam furem & latronem ultra muros in nocturno temporis ſilentio aſcendentem indebite ſuſceperunt, ipſum tanquam priorem in omnibus obſervantes. Et licet fratrem Willelmum de Wikewane poſt noſtram pretactam diffinitivam ſententiam, una cum ſuis commonachis ceteris, ſibi in priorem concorditer elegiſſent: tamen auctoritatem abbatis Weſtmonaſterienſis advocantes, qui nullam ibidem juriſdictionem ordinariam

F ſeu

ſeu delegatam optinere dinoſcitur, & qui ipſum electum injurioſe ſub carcerali cuſtodia detinet, quo minus ad nos accedat ſue electionis confirmationem ſicut juſtum fuerit petiturus, impediri procurant: in ſui monaſterii prejudicium & noſtre juriſdictionis contemptum, jura & libertates noſtre eccleſie Wygornienſis violare & quantum in ipſis eſt infringere ſatagentes; que omnia ex inquiſitionibus inde factis legitime nobis liquent. Verum cum frater Willelmus & ſui complices ſuperius memorati excommunicationis majoris vinculis tam multipliciter innodati, divinis ſe ingerant inſolenter, & claves eccleſie contumaciter ſic contempnant; nos ſub Chriſto & Dei adjutorio ſecundum apoſtolum omnem inobedientiam ulciſci volentes, ipſum monaſterium majoris Malverne cum eccleſiis & capellis eidem adherentibus, ubi predicti fratres Willelmus de la Were, Ricardus dictus le Meillur, Willelmus de Alynceſtre, Johannes de Perſore, Johannes de Wyke, Robertus de Poywyke, & Symon de Wygornia tam illicite converſantur, & alii cum ipſis communicant, de peritorum nobis aſſidentium conſilio, eccleſiaſtico interdicto tenore preſentium ſupponimus, penetentiis decedentium, & baptiſmate parvulorum duntaxat exceptis. Quocirca vobis omnibus & ſingulis precipimus in

in virtute ſancte obedientie diſtrictius injungentes, quatenus fratres prenominatos & omnes quocumque genere communionis communicantes cum ipſis, quos majoris excommunicationis ſententia involvimus, in hiis ſcriptis: in veſtris eccleſiis ſingulis, conſiſtoriis, capitulis, & proceſſionibus diebus feſtivis & aliis, in majori populi preſentia, ſic excommunicatos extinctis candelis & pulſatis campanis ſollempniter & puplice nuntietis & nuntiari ab aliis faciatis. Interdictum hujuſmodi a nobis latum ut premittitur nichilominus pupplicantes, donec abſolutionis & reconciliationis gratiam, in forma juris meruerint optinere: & hoc vobis per noſtras patentes literas innoteſcat. Datum & actum in parochiali eccleſia de Bredon XVI. kalend. Decembris, anno ut ſupra [b].

Abſolutio Alani de Cante, Clerici excommunicati.

GOdfridus, &c. decano de Poywyke ſalutem, &c. Quia Alanum de Cante clericum, ab excommunicationis ſententia, quam contra noſtras inhibitiones & monitiones contemptibiliter communicando cum fratre Willelmo de Ledebury, monacho majoris Malverne, anathematis vinculo ob ſuas offenſas & contumacias inno-

[b] Fol. 163. b.

dato, incurrit; in forma juris duximus abſolvendum: tibi mandamus quatenus ipſum taliter abſolutum a nobis pupplice facias nuntiari. Datum apud Bredon XV. kalend. Decembris, anno ut ſupra [c].

Litera regia pro reſtitutione Willelmi de Ledebury.

REX viceconiti Wygornienſi, ſalutem. Precipimus tibi quod prioratum de magna Malverne, quem nuper ad mandatum noſtrum in manum noſtram cepiſtis: Willelmo de Ledebury nunc priori ejuſdem prioratus cum omnibus inde perceptis ſine dilatione reſtituas. T. R. de Northwode apud Salop. XXIII. die Novembris, anno regni noſtri undecimo.

Et ſcias pro certo, quod pro contemptu & falſo retorno amerciatus es ad C. ſolidos, & niſi hoc mandatum noſtrum plenius exequaris, gravius amerciaberis. Et habeas ibi tunc hoc breve T. R. de Northwode apud Salop. IV. die Decembris, anno regni regis undecimo [d].

c Fol. 164. a.

d Fol. 161. a.

Sequeſtrum

Sequeſtrum eccleſie majoris Malverne.

DEcano de Poiwyke, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Tibi mandamus, quatenus fructus & proventus omnimodos eccleſie parochialis Malverne ſequeſtres, & ſub arto ſequeſtro per Henricum de Molendinis clericum facias cuſtodiri; & noſtra mandata priora de excommunicatis ibidem, cum ſecum communicantibus talibus nominatim & puplice nuntiandis, ac interdicto inibi interpoſito diſtrictius obſervando cum ſumma diligentia exequaris, contravenientes quoſcumque per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Nobis vero nichilominus quod ſuper hiis feceris, diſtincte in omnibus & aperte reſcribas. Dat. apud Weſton VIII. kalend. Decembris [e].

Interdictum locorum Abbatis Weſtmonaſterienſis.

GOdfridus, &c. dilectis filiis . . . . abbatibus . . . . prioribus . . . . archidiaconis eorum officialibus . . . . rectoribus . . . . vicariis . . . . presbyteris parochialibus & . . . . decanis per Wygornienſem dioceſim conſtitutis, ſalutem, grati-

[e] Fol. 164. a.

am,

am, & benedictionem. Cum nuper, vacante prioratu majoris Malverne, monachi loci ejuſdem ad electionem canonice procedentes, fratrem Willelmum de Wickewane ſuum commonachum elegiſſent unanimiter in priorem ; cumque idem frater Willelmus electionis ſue confirmationem more debito petiturus, iter ad nos veniendi paraſſet, frater Ricardus abbas Weſtmonaſterienſis ipſum electum, quoſdam de ſuis confratribus, & bona quamplurima dicti prioratus, auſu ſacrilego invadendo, & eos carcerali cuſtodie hoſtiliter mancipando, noſtram juriſdictionem impedivit multipliciter & turbavit, & adhuc impedire & turbare non deſinit, prefatos monachos in diro carcere detinendo : licet dictus prioratus, tam quoad legem dioceſanam, quam juriſdictionis, nobis pleno jure in omnibus ſit ſubjectus, abbaſque predictus nullam juriſdictionem in eo ordinariam habeat, aut etiam delegatam. Propter quod abbatem prefatum legitime fecimus commoneri, ut eiſdem monachis redditis libertati, ſe a talibus inſolentiis cohibere curaret, quodque noſtram juriſdictionem ſic amplius non turbaret. Sed ipſe via veritatis & juſtitie derelicta, in priori rebellione perſiſtens contumaciter monachos memoratos cum bonis predictis artius detinet & cohartat, jura, juriſdictionem, & libertatem eccleſie noſtre

noſtre Wygornienſis infringendo, & quantum in eo eſt, jure ſuo privando, ac per malitiam ſpoliando ; unde in excommunicationis ſententiam incidit in concilio Oxonienſi editam contra tales. Que omnia & ſingula facti evidentia exiſtunt tam notoria, quod nulla poterunt tergiverſatione celari : verumptamen excommunicationis ſententiam, quam incurrit, ut premittitur, ob reverentiam regie majeſtatis, cujus obſequiis hiis diebus perſonaliter dicitur inherere, diſtulimus puplicare. Sed ne in exceſſu tam notorio cum diſſimulatione dampnabili ſilere dicamur, ex quo prioratus predicti extreme deſolationis incommodum, religionis ſcandalum, & noſtre juriſdictionis prejudicium, inoleſcunt : in preſentiarum noſtri officii debitum, quantum poſſumus cum pace regie celſitudinis, quam ſummis deſideriis affectamus, ipſius abbatis offenſas execrabiles deteſtando exequimur : & Dei nomine invocato, de juris peritorum conſilio, civitatem, villas, monaſteria, prioratus, eccleſias, & capellas, ac maneriorum capellas, nec non loca alia noſtre dioceſeos, ad que abbatem eundem contigerit declinare, & eis quovis tempore magno vel modico immorari, eccleſiaſtico totaliter ſupponimus interdicto, penitentiis decedentium & baptiſmate parvulorum dumtaxat exceptis. Quocirca vobis omnibus & ſingulis

ſingulis precipiendo mandamus in virtute obedientie, qua nobis & eccleſie noſtre Wygornienſi tenemini, ſub pena diſtrictionis canonice firmiter injungentes, hanc interdicti ſententiam in omnibus obſervetis, & faciatis ab aliis artius obſervari. Datum apud Weſton IV. nonarum Decembris, anno gratie milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, pontificatus vero noſtri quinto decimo [f].

Penitentia abſolutorum.

GOdfridus, &c. dilectis filiis de Wygornia & de Poywyke decanis, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Cum Willelmum Bolejaumbe, Willelmum Bentſet, Thomam Hache, Ceciliam atte Welle, & Julianam Northyn a ſententia excommunicationis, quam contra noſtras inhibitiones quam plures, communicando cum fratre Willelmo de Ledebury monacho majoris Malvern, dudum ob ſuas offenſas & contumacias manifeſtas, cum ſecum communicantibus, vinculo anathematis innodato, dampnabiliter incurrerunt : in forma juris abſolvimus, eiſdemque pro penitentia ſalutari duximus injungendum, quod proceſſionem noſtre eccleſie cathedralis Wy-

[f] Fol. 164. b.

gorn.

gorn. tribus Dominicis proximis diſcalceati, in tunicis, diſcoopertis capitibus, cum presbyteris duobus vel pluribus ediſcentibus coram populo ſua commiſſa, ſequantur, actu & more penitentium. Vobis conjunctim & diviſim mandamus, quatenus prenominatos omnes & ſingulos ſic abſolutos faciatis puplice nuntiari, dummodo penitentiam peregerint ſupradictam; interim ipſos habentes, ut premittitur, abſolutos: alioquin noſtra auctoritate in ſententiam priſtinam reducatis eoſdem, & excommunicatos faciatis puplice & ſollempniter nuntiari. Et inſuper de aliis clericis & laicis ac quibuſcumque miniſtris prioratus majoris Malverne, cum fratre Willelmo de Ledebury, & ceteris interdictis & excommunicatis ibidem, communicantibus quoquomodo nichilominus inquiratis, & eos quos in communione hujuſmodi reos inveneritis, quoſque ipſo facto in excommunicationis predicte ſententiam dudum latam a nobis conſtat taliter incidiſſe, excommunicatos ſimiliter nuntietis, & faciatis ab aliis nuntiari; monaſterium Malverne memorate, per nos eccleſiaſtico ſuppoſitum interdicto, juxta noſtrarum literarum priorum continentiam, puplicantes. De ipſorum nominibus, qui in predicte excommunicationis ſententia per quadraginta dies & amplius perſtiterunt contumaciter, claves eccleſie contempnendo, &

G qualiter

qualiter noſtrum mandatum, ob cujus proſecutionem, Henricum de Wynton, clericum noſtrum, nuntium facimus, fueritis executi; diſtincte & aperte nobis in omnibus reſcribentes citra feſtum beate Lucie Virginis, per literas veſtras patentes harum ſeriem continentes. Dat. apud Weſton IV. nonarum Decembris, anno ut ſupra[g].

Interdictum contra Abbatem Weſtmonaſterienſem conceptum per magiſtrum de Wychio.

GOdfridus permiſſione divina epiſcopus Wygornienſis, dilecto in Chriſto filio . . . . officiali archidiaconi Wygorn. ſalutem, gratiam, & benedictionem. Cum nuper, ſuadente juſtitia, fratres Willelmum de Ledebury quondam priorem monaſterii majoris Malvern, noſtre dioceſeos, Willelmum de la Were, Ricardum de Aſton, Willelmum de Alynceſtre, Johannem de Perſore, Symonem de Wygornia, Robertum de Poiwyke, & David de Knython, commonachos monaſterii memorati, ac fratrem Robertum converſum domus ejuſdem, quos conſtat notorie in excommunicationis majoris ſententiam pro offenſa multiplici dampnabiliter incidiſſe; fecerimus noſtris

[g] Fol. 164. b.

literis

literis ſuper hoc . . . . decano de Poywyke & aliis quibuſdam noſtris miniſtris directis excommunicatos puplice nuntiari: quamquam quoad quorundam perſonas ex eis, ad ipſorum rogatum humilem, pupplicationem excommunicationis premiſſe, ſub ſpe correctionis & emendationis debite, de qua per id quod agebant exterius verſimiliter, preſumptio habebatur, ex poſtfacto ſuſpenderimus gratioſe; hiique qui tunc noſtre gratie gaudebant effectu, nunc ſpiritu rebellionis inflati, in ſuis erroribus dampnabilius ſolito perſeverent, noſtram juriſdictionem, ac viſitationis officium, quod ex debito cure paſtoralis ibidem adimplevimus, impedientes enormiter, infringentes etiam ac perturbantes ſcienter & per malitiam noſtre Wygornienſis eccleſie libertates, quibus hactenus fuiſſe gaviſa noſcitur inconcuſſe, nec non turbatoribus hujus veluti proprie ſalutis immemores faveant inceſſanter, reatibus priſtinis per cujuſque enormitatis genera cumulando reatus. Vobis in virtute obedientie qua dicte eccleſie Wygornienſis & nobis tenemini, firmiter injungendo mandamus, quatinus dictos fratres omnes & ſingulos tam in eccleſiis conventualibus, ſeu collegiatis, quam aliis parochialibus ſingulis, exemptis pariter & non exemptis, infra veſtri diſtrictus ambitum, undique conſtitutis, per vos & alios faciatis ſic excom-

 municatos,

municatos, quibuſlibet diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, & accenſis candelis, inter miſſarum ſollempnia, palam & puplice nuntiari : nec non inhiberi diſtrictius, nequis cum eis ſeu aliquo ex eiſdem, vendendo, emendo, comedendo, bibendo, ſeu alio genere communionis quocumque, caſibus premiſſis a jure dumtaxat exceptis (donec ab hujus excommunicationis ſententia per nos in forma juris mereantur abſolvi) communicare preſumat, ſub pena excommunicationis majoris; quam in communicantes ipſos, poſt monitionem legitimam eis factam, ut premittitur, ex nunc profeRimus & hiis ſcriptis. De nominibus etiam communicantium, ſi qui fuerint, in ſingulis decanatibus, per ipſorum locorum decanos faciatis diligenter inquiri. Et quos inveneritis, dicta excommunicationis ſententia involutos, ſub premiſſà forma ſollempniter nuntietis ; ipſos nichilominus peremptorio citantes edicto, quod infra octo dies, poſtquam vobis de hiis fuerit facta fides, ubicumque nos eſſe tunc contigerit in noſtra dioceſi, compareant coram nobis ſuper hiis & ea tangentibus facturos & recepturos quod canonicum fuerit, & eis congruat ſalubriter ad medelam. Proviſo inſuper quod omnia loca per que ſub ambitu veſtri diſtrictus, Ricardus abbas Weſtmonaſterienſis tranſitum fecerit, ſeu in quibus moram

moram traxerit ubicumque, ipſo preſente, ob ipſius culpam notoriam, quam contra libertatem dicte eccleſie Wygornienſis noſcitur commiſiſſe, interdicto eccleſiaſtico ſupponantur. Ad hec bona quecunque in maneriis ad dictum prioratum ſpectantibus, quocunque nomine cenſeantur, qualitercumque reperta, ſub ſequeſtro & fida cuſtodia, per fideles miniſtros, per vos ad hoc ſpecialiter deputandos, ita quod dictus frater Willelmus de Ledebury, ſeu quiſquam alius ex premiſſis per ſe vel perſonam interpoſitam ad ea nullatenus manus apponat, faciatis abſque diſſipatione qualibet conſervari : quouſque ſuper relaxatione ſequeſtri ipſius, mandatum a nobis receperitis ſpeciale, aliis mandatis noſtris tam quoad interdictum monaſterii ſupradicti, quam aliam cohercionem quamcumque, contra quaſcumque perſonas per nos emiſſis primitus quandocunque nichilominus in ſuo robore duraturis. Preterea fratres Ricardum dictum le Meillur de Wygornia, Johannem de Perſore, Symonem de Wyke, quos reputamus notorie ſuper perjurii reatu convictos, peremptorie citetis, quod die Sabbathi proxima ante feſtum beati Thome apoſtoli ubicunque tunc fuerimus in noſtra dioceſi, compareant coram nobis penam condignam pro tam notorio crimine devocius recepturos. Qualiter autem preſens mandatum

mandatum fueritis executi, & de nominibus communicantium cum excommunicatis premiſſis ſeu aliquo ex eiſdem, & qualiter contra communicantes ipſos proceſſeritis; nec non de nominibus illorum ſi quos ob culpam communionis hujus duxeritis evocandos, & de termino ad quem communicantes eos feceritis evocari, & de citatione dictorum fratrum, quos pretextu perjurii ſic citari feceritis ad diem & locum predictos, per veſtras patentes literas harum tenorem habentes diſtincte & aperte nobis citra feſtum Epiphanie Domini, fideliter intimetis. Datum apud Weſton II. iduum Decembris, anno XV. [h].

Litera directa domino Bathon. & Wellenſi Epiſcopo.

VEnerabili in Chriſto patri, ac amico & precipuo preceptori, domino R. Dei gratia Bathonienſi & Wellenſi epiſcopo, ſuus Wygornienſis ſe ſemper ad vota, ſemper devocius inclinatum. Conſtanter credimus & tenemus quod cordium uniformitas, qualicunque locali diſtantia minime ſeparetur, ob quod negotia que nos tangunt, vobis velut noſtro ſummo remedio cum plena fiducia referamus. Prioratu ſiquidem

h Fol. 165. a. & 166. a.

majoris

majoris Malvern noſtre dioceſcos nuper vacante, ſicuti id veſtre ſancte paternitatis clementie alias patefecimus per literas & nuntios ſpeciales, domini noſtri regis theſaurarius domum ipſam de majoris Malverne, contra id quod hactenus fieri conſuevit, in manum ejuſdem domini regis capi fecit ſub colore mandati domini R. de Northwode vicecom. Wygorn. ſic ſcribentis: poſtmodoque idem theſaurarius ſub colore ſimili domini regis, miniſtros inde amovit; cuidam qui per noſtre viſitationis officium a prioratu loci predicti ex certis & juſtis cauſis amotus fuerat, & a regimine ac adminiſtrat one bonorum domus ejuſdem, tam quoad temporalia quam ſpiritualia abſolutus, prioratum ipſum, cum omnibus ſuis juribus & appendiciis committendo; ſic per nos depoſitum, juſtitia permittente, temere reſtituens ſtatui priſtino & non abſque juris offenſa inſtituens deſtitutum. Nos & eccleſiam noſtram Wygornienſem poſſeſſione juris, qua in prioratu predicto viſitando, corrigendo, & reformando, ſicut in religioſis locis aliis pleno jure nobis ſubjectis, una cum noſtris predeceſſoribus gaviſi ſumus hactenus inconcuſſe, auſu ſacrilego ſpoliando, & infringendo ſimiliter noſtri, quoad hec & dicte noſtre eccleſie libertatem. Ob quod liquet notorie ipſum theſaurarium in excommunicationis ſententiam latam

tam in concilio Oxonienſi, quamquam id a canone ſit aſſumptum, dampnabiliter incidiſſe; licet ob reverentiam domini regis predicti, eandem excommunicationis ſententiam hucuſque diſtulerimus puplicare; quo caſu ipſius communio propter reatum tam execrabilem puplicum, etiam & notorium, gravis undique admodum periculoſa dinoſcitur, cum ſuo contactu nefario ſolito inficiat, & dampnet inſontes. Quocirca ne nos veluti ex culpa negligentes, coram Altiſſimo in diſtricto examine, apud quem non eſt perſonarum acceptio, graviter arguamur, vos ſub omni ſpecialitatis genere, qua ad invicem copulamur, rogamus devote, quatinus in noſtri officii debitum quod tendit ſalubriter ad medelam, contra illum theſaurarium abſque indignatione regia & veſtri exercere poſſimus, ſi libet, nos per veſtras literas edocere velitis. Et quia intelleximus pro conſtanti, quod reverendus pater dominus archiepiſcopus Cantuarienſis, totius Anglie primas, cum quibuſdam proceribus & magnatibus regni, de voluntate & mandato prefati domini regis, erit apud Glouceſtriam die ſancti Hillarii, & in octabis feſti ejuſdem, ſimiliter Northamptonie cum ſuffraganeis ſue provincie, etiam prioribus, decanis eccleſiarum cathedralium ſeu conventualium, ac procuratoribus capitulorum, & quibuſdam magnatibus dicti regni, ac cauſe, ob quas congre-

congregationes hujuſmodi fieri debent, nos latent omnino: vobis ſupplicamus attente, ut ſuper cauſis ipſis nos dignemini, ſi libeat, ſecretius informare. Que previſe nos in agendis ibidem, veſtro mediante conſilio, efficere valeant cautiores. Ad hec vobis ſcribimus pro tribus excommunicatis ſecundum regni conſuetudinem capiendis, quorum nomina in noſtris literis exprimimus, & quos ob ſuam perverſitatem notoriam, hereticis non abſimiles reputamus, contra quos breve regium vicecomiti Wygornienſi dirigendum, ſi placet, in veſtri preſentia precipiatis formari, illud ſub elephante ut ſignetur veſtris tranſmittendo miniſtris. In hiis & aliis veſtro . . . . Wygorn. dignemini reſcribere vota veſtra; ad eccleſie ſue regimen vos conſervet Altiſſimus per tempora longiora. Datum apud Alvyvech. XIV. kalend. Jan. anno quinto decimo [i].

Litera Regis Theſaurariis & Baronibus de Scaccario pro Prioratu Malverne.

REX theſaurariis & baronibus ſuis de ſcaccario, ſalutem. Quia datum eſt intelligi, quod cum contentio nuper ſuborta eſſet inter venerabilem patrem Godfri-

[i] Fol. 165. a. & 166. a.

dum Wygornienſem epiſcopum, ex parte una; & dilectum nobis in Chriſto abbatem Weſtmonaſterienſem, ex altera: ſuper eo quod idem epiſcopus aſſerebat ſe habere juriſdictionem epiſcopalem in prioratu de magna Malvern, per quod inſtitutio & deſtitutio prioris prioratus illius ad ipſum debent de jure pertinere; dictuſque abbas in contrarium dicebat prioratum illum eſſe cellam abbathie ſue Weſtmonaſterienſis, & curie Romane immediate ſubjectum, ab omni ordinaria juriſdictione exemptum, per quod idem epiſcopus in dicto prioratu nullam hujus juriſdictionem habere poterat, vel debebat; vos, pro eo quod prioratus ille vacans eſſe dicebatur, eundem prioratum capi feciſtis in manum noſtram, ita quod monachi ibidem de bonis domus ſue adminiſtrationem habere non poſſunt, ut deberent; nos, pro eo quod nolumus, ſicut nec velle debemus, quod vos pretextu officii veſtri, aut ſub colore quocunque, quoad captionem hujuſmodi prioratus in manu noſtra, alia faciatis quam ea que de jure fieri debent, & hactenus inde fieri conſueverunt: vobis mandamus, quod ſcrutatis rotulis & memorandis ſcaccarii predicti, ſi vobis lucide conſtare poſſit, quod prioratus predictus occaſione vacationis ejuſdem, vel alia ratione nunquam alias captus fuerit in manum noſtram; tunc de prioratu illo

in

in manu noſtra detinendo vos ulterius non intromittatis iſta vice, donec aliud a nobis ſuper hiis habueritis in mandatis, niſi forſan aliqua nova & rationabilis cauſa ſubſit, quare prioratus ille ad preſens ſic debeat eſſe in manu noſtra. De qua quidem cauſa nobis ſub ſigillo predicti ſcaccarii diſtincte & aperte conſtare faciatis. Teſte meipſo apud Rothelon [k].

Litera Regis Vicecomiti Wygorn. pro Prioratu Malverne.

REX vicecomiti Wygornienſi, ſalutem. Quia datum eſt nobis intelligi, quod cum contentio nuper ſuborta eſſet inter venerabilem patrem Godfridum Wygornienſem epiſcopum, ex parte una; & dilectum nobis in Chriſto abbatem Weſtmonaſterienſem, ex altera; ſuper eo quod idem epiſcopus aſſerebat ſe habere juriſdictionem epiſcopalem in prioratu de magna Malverne, per quod inſtitutio & deſtitutio prioris prioratus illius ad ipſum debent de jure pertinere, dictuſque abbas in contrarium dicebat, prioratum illum eſſe cellam abbathie ſue Weſtmonaſterienſis, & curie Romane immediate ſubjectum, & ab ordinaria juriſdictione exemptum; per quod idem epiſ-

k Fol. 165. a.

copus in dicto prioratu nullam hujus juriſdictionem habere poterat, vel debebat; theſaurarii & barones noſtri de ſcaccario, pro eo quod prioratus ille vacans eſſe dicebatur, eundem prioratum per te capi fecerunt in manum noſtram; ita quod monachi ibidem de bonis domus ſue adminiſtrationem habere non poſſunt, ut deberent. Nos pro eo quod nolumus, ſic nec velle debemus, quod iidem theſaurarii & barones pretextu officii ſui, aut ſub colore quocunque, quoad captionem hujus prioratus in manu noſtra alia faciant, quam ea que de jure fieri debent, & hactenus inde fieri conſueverunt: per quod mandavimus eiſdem theſaurariis & baronibus, quod ſcrutatis rotulis & memorandis ſcaccarii predicti, ſi eis lucide conſtare poſſit, quod prioratus predictus occaſione vacationis ejuſdem, vel alia ratione nunquam alias captus fuerit in manum noſtram; tunc de prioratu illo in manu noſtra detinendo ſe ulterius non intromittant iſta vice, donec aliud a nobis habuerint in mandatis. Niſi forſan aliqua nova & rationabilis cauſa ſubſit, quare prioratus ille ad preſens ſic debeat eſſe in manu noſtra, de qua quidem cauſa nobis ſub ſigillo ſcaccarii predicti diſtincte & aperte conſtare faciant. Tibi precipimus, quod quam cito per dictos theſaurarios & barones tibi conſtare poterit de premiſſis, de

prioratu

prioratu illo te ulterius non intromittas. Teſte meipſo apud Rothelon [l].

Litera regia pro liberatione Fratris Willelmi de Wickewane.

REX vicecomiti Middleſex, ſalutem. Precipimus tibi, quod juſte & ſine dilatione replegiari facias fratrem Willelmum de Wickewane; quem abbas Weſtmonaſterienſis cepit, & captum tenet, ut dicitur; niſi captus ſit per ſpeciale mandatum noſtrum, vel capitalis juſtitiarii noſtri, vel pro morte hominis, vel pro foreſta noſtra, vel pro aliquo alio recto, quare ſecundum conſuetudinem Anglie non ſit replegiatus, ne amplius clamorem inde audiamus pro defectu juſtitie. Teſte meipſo apud Rothelon, anno regni noſtri undecimo [m].

Breve ſecundum.

EDwardus, &c. vicecomiti Middleſex, ſalutem. Precipimus tibi, ſicut alias tibi precipimus, quod juſte & ſine dilatione replegiari facias fratrem Willelmum de Wickewane, quem abbas Weſtmonaſterienſis cepit, & captum tenet, ut dicitur; niſi

[l] Fol. 165. b. [m] Fol. 167. a.

captus

captus ſit per ſpeciale mandatum noſtrum, vel capitalis juſtitiarii noſtri, vel pro morte hominis, vel pro foreſta noſtra, vel pro aliquo alio recto, quare ſecundum conſuetudinem Anglie non ſit replegiatus, ne amplius clamorem inde audiamus pro defectu juſtitie, vel coram nobis ſignifices quare mandatum noſtrum alias tibi directum exequi noluiſti, vel non potuiſti. Teſte meipſo apud Rothelon [n].

Breve tertium.

EDwardus, &c. vicecomiti Middleſex, ſalutem. Precipimus tibi, quod non omittas propter libertatem abbatis Weſtmonaſterienſis, quin eandem ingrediaris, & juſte & ſine dilatione replegiari facias fratrem Willelmum de Wykewane, quem abbas Weſtmonaſterienſis cepit, & captum tenet, ut dicitur, ni captus ſit per ſpeciale mandatum noſtrum, vel capitalis juſtitiarii noſtri, vel pro morte hominis, vel pro foreſta noſtra, vel pro aliquo alio recto, quare ſecundum conſuetudinem Anglie non ſit replegiatus, ne amplius inde clamorem audiamus pro defectu juſtitie; quia nobis ſignificaſti, quod feciſti retornum brevis noſtri ſuper hoc tibi directum ballivis liberta-

[n] Fol. 167. a.

tis predicte; qui mandatum noſtrum minine exequi curaverunt. Teſte meipſo apud Rothelon [o].

Litera Archiepiſcopi Cantuarienſis ſuper viſitatione ſua in dioceſi Wygornienſi.

FRater Johannes permiſſione divina Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Anglie primas, venerabili in Chriſto fratri, domino . . . . Dei gratia Wygornienſi epiſcopo, ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem. Fraternitati veſtre notum facimus per preſentes, quod perſonam veſtram atque eccleſiam, veſtreque civitatis & dioceſcos clerum & populum, favente Deo, intendimus viſitare, quod eis curetis patefacere ſine mora, ut premuniti ſe preparent viſitationem noſtram ſecundum ſanctiones canonicas admiſſuri. Denuntiari etiam faciatis, eccleſias ſeu portiones eccleſiarum appropriatas habentibus, ſeu in eccleſiis alienis aut parochiis penſiones aut decimas ſeparatas percipientibus, ac univerſis rectoribus tenentibus in veſtra dioceſi, & alibi plura beneficia curam habentium animarum, quod jus ſiquod habent ſpeciale ſuper appropriatione, perceptione, & pluralitate hujuſmodi, cum per ipſos tranſitum fece-

[o] Fol. 167. a.

rimus,

rimus, ſub pena canonica peremptorie nobis oſtendant. Proponimus autem eccleſiam veſtram Wygorn. in craſtino purificationis beate Marie proximo venturo intrare, & die ſequenti viſitationem noſtram citra perſonam veſtram, quam tunc ibidem adeſſe volumus, Deo volente & ceſſantibus impedimentis legitimis, inchoare, ex tunc ad veſtrum capitulum & alia loca veſtre dioceſeos, prout opportunitas dederit proceſſuri. De die vero receptionis preſentium & qualiter premiſſa fueritis executi, nobis dictis die & loco veſtris patentibus literis harum ſeriem continentibus fideliter intimetis. Valete ſemper in Chriſto & Virgine glorioſa. Datum apud Roſs V. kalend. Januarii, anno gratie milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, ordinationis noſtre quarto [p].

Viſitatio Archiepiſcoopi Cantuarienſis apud Wygorniam.

MEmorandum, quod in craſtino Purificationis beate Virginis, milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, dominus Johannes Dei gratia Cantuarienſis archiepiſcopus viſitavit dominum epiſcopum Wygornienſem, & procuratus fuit eodem die tan-

p Fol. 167. a.

rum

tum ſumptibus ipſius Wygorn. ſed jacuit in prioratu. Die vero Jovis archiepiſcopus viſitavit monachos, die Veneris viſitavit moniales de Wyſton. Die autem ſabbati adivit majorem Malvern & predicavit ibidem in capella; qua peracta, cum petierit in forma debita ab eis ad viſitationem admitti, ſurrexerunt magiſtri R. dictus Barret, & R. de Vaſto prato, procuratores abbatis Weſtmonaſterienſis, allegando aſſerentes ipſum prioratum majoris Malverne ita privilegiatum, quod nec dictus archiepiſcopus, nec epiſcopus Wygornienſis juriſdictionem aliquam habere debuerat in eodem, offerentes ſe paratos congruis loco & tempore hoc docere. Archiepiſcopo ſuper hoc deliberante ac conſulente prefixit eis diem ad exhibendum & proponendum privilegia ſua, ſi que optinuerint, ubicumque fuerit in dioceſi Wygornienſi, coram eo videlicet in craſtino ſanctarum Perpetue & Felicitatis, recepturi ulterius quid dictaverit ordo juris. Die vero Martis ſequente proximo ſtetit idem archiepiſcopus cum domino epiſcopo in menſa apud Hertlebure [q].

[q] Fol. 154. a.

Viſitatio Johannis Archiepiſcopi in dioceſi Wygornienſi.

MEmorandum, anno gratie milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, in craſtino Purificationis beate Marie Virginis, primo incepit frater Johannes permiſſione divina Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Anglie primas, viſitare epiſcopum Wygornienſem in ſua eccleſia cathedrali, & perviſitavit totam dioceſim in vigilia Annuntiationis Dominice proximo ſequenti. De cujus viſitatione tam clerus quam populus dictum archiepiſcopum laudabiliter commendarunt [r].

Litera deprecatoria pro liberatione fratris Willelmi de Wikewane.

VEnerabili in Chriſto patri, domino Hugoni, Dei gratia tituli ſancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, Godfridus permiſſione divina miniſter eccleſie Wygornienſis, ſalutem, reverentiam, & honorem, cum antique ſpecialitatis federis incremento. Literas veſtras nuper recepimus per veſtrum Robertum de Biſleya nobis oblatas, quas pro noſtra poſſibilitate, ef-

[r] Fol. 175. b.

fectui

fectui debito commendavimus, ſicut & mandata veſtra pariter & precepta ſincero corde futuris temporibus curabimus expedire. Sane ex quodam facto in noſtra jam emergente dioceſi acriter commovemur. Ecce dum nuper circiter feſtum ſancti Michaelis in prioratu majoris Malverne, noſtre dioceſeos, viſitationis officium exercentes, fratrem Willelmum de Ledebury tunc loci ipſius priorem, variis criminibus irretitum, & ſubſequenter convictum, que ipſum reddebant inhabilem ad dicti regimen prioratus, ab officio ſuo amoverimus, juſtitia ſuadente, ejuſdem loci conventui alium eligendi in priorem poteſtatem liberam concedentes. Ipſi autem magne religionis virum fratrem Will. de Wyckwane, veſtrum nepotem, ſicut dicitur, in priorem concorditer elegerunt, & dum idem ad confirmationis munus a nobis optinendum, patriam peragraret, abbas Weſtmonaſterienſis falſo confingens dictum prioratum ſibi ſubjectum, & a noſtra juriſdictione prorſus exemptum, prefatum electum cum tribus commonachis ipſum inſequentibus violenter capiendo detinuit, & ad ſepta Weſtmonaſterienſia incarcerandos transmiſit, ubi in ymo carceris tam diriſſime flagellantur, quod frater Robertus dictus Wyther ipſius commonachus, ut aſſeritur, inibi miſerabiliter expiravit, quod referimus condolentes. Et licet

venerabilis pater, dominus Cantuarienſis archiepiſcopus, nunc in noſtra dioceſi viſitationis officium exercendo ad ipſum prioratum declinaverit, officii ſui debitum impleturus; ipſi tamen ſibi renuerunt in omnibus filialiter obedire: ſicque videtis quod dicti patris juriſdictio, noſtra ſimul ac veſtra archidiaconi fluctuat in hac parte. Pro liberatione ſiquidem dicti electi & confratrum ſuorum tam ad regem, quam ad alios amicos noſtros, literas direximus, & impetravimus cum favore. Sed propter zizaniam ipſius abbatis, quam contra jura eccleſie noſtre ſubdole ſeminavit, non valuimus hactenus prevalere. Unde intimis viſceribus caritatis paternitatem veſtram ſuppliciter exoramus, quatinus ad jura Wygornienſis eccleſie, & ſpecialiter veſtri archidiaconatus, que intuitu veſtre perſone habemus jugiter recommendata, reſpectum habentes; liberationi dictorum incarceratorum, nec non reparationi jurium predictorum ſic velitis intendere, quod per vos Wygornienſis eccleſia ſe gaudeat exaltatam, & vos ſuper hoc placeatis Altiſſimo Creatori. Ad hec pro Ricardo de Salſomariſco, rectore eccleſie de Grafton, noſtre dioceſeos, preſentium bajulo, vos rogamus quatinus in ſuis negotiis, que per vos poterunt expediri, obtentu noſtri ſibi velitis exiſtere gratioſi: teſtificamur enim quod ſibi gratitudinis gratia correſpondet,

reſpondet, & quicquid ſibi feceritis in hac parte, nobis reputabimus fore factum. Bene valeat in Domino veſtra paternitas reverenda. Datum apud Henl. quinto iduum Februarii [f].

Litera Epiſcopi Procuratoribus ſuis in curia Romana.

GOdfridus, &c. magiſtris Edwardo de Warefend, & Johanni Buterley, clericis, & procuratoribus ſuis in Romana curia commorantibus, ſalutem, cum ſincere dilectionis continuo incremento. Quia quaſdam petitiones contra abbatem, & conventum Weſtm. & priorem & conventum majoris Malverne, noſtre dioceſeos, per vos pro nobis, & eccleſia noſtra effectu debito cupimus expediri, vos & utrumque veſtrorum requirimus pariter & rogamus: quatenus predictas petitiones per Ricardum de Salſomariſco, clericum noſtrum, vobis porrigendas velitis tam celeriter quam feliciter proſperare. Sumptus equidem & cetera que incumbunt circa premiſſa vobis, prout reſcripſeritis, refundemus. In hiis autem & aliis negotiis noſtris in Romana curia expediendis, ſic velitis eſſe vigiles, & intenti, quod veſtram debeamus diligentiam merito commendare. Bene valete, &

[f] Fol. 169. a.

diu

diu. Datum die loco & anno ſupra dictis [t].

Litera altera.

GOdfridus, &c. Thome de Wycheford, clerico ſuo in Romana curia commoranti, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Quia ſtatum noſtrum vos volumus non latere, vobis preſentibus innoteſcat, quod ſanitate proſpera, Deo propitio, fruimur corporali, quod de vobis cupimus experiri. Super eo vero quod veſtras literas ſuper ſtatu curie nobis multociens tranſmiſiſtis, vobis referimus merita gratiarum, rogantes attente, quatinus id in futurum prona mente continuare velitis. Ad hec, dominus Cantuarienſis archiepiſcopus viſitationem ſuam in noſtra dioceſi in craſtino purificationis beate Virginis proximo preterito inchoavit cum omni manſuetudine ac temperantia equitatis, quicquid juriſdictionem noſtram contingit illibatam conſervans, quod eveniſſe tam feliciter nullatenus credebamus. Et ſiqua vos tangunt quoad viſitationem ipſam, que per nos vel noſtros poterint expediri, illa tanquam propria habebimus commendata. De ſtatu equidem regis & regni nec non & de exitu

[t] Fol. 169.

viſitationis

viſitationis predicte, ac aliiſque que occurrent, vos per puerum veſtrum in brevi reddemus informatos. Bene valete [u].

Petitiones Epiſcopi in curia Romana.

HEC ſunt petitiones domini Godfridi Wygornienſis epiſcopi, quas in Romana curia per procuratorem ſuum petit expediri ; & ſi contradictio appareat, conſentietur in perſonas & loca ſubſcripta. Judices ſint decanus Licheffeld, decanus Ceſtr. priores Kenelworthie, & ſancti Thome juxta Stafford, ordinis ſancti Auguſtini Coventr. & Lich. dioceſeos. Item archidiaconus vel precentor Wellenſis. Item precentor Eborum eccleſie, & prior ſancti Oſwaldi Glouc. Wygorn. dioceſeos, ordinis ſancti Auguſtini. Sint loca Coventre, Lich. Leyceſtre, vel Wells, Warewyke, vel Briſtoll.

In primis ſupplicat ſanctitati veſtre Godfridus, Dei gratia Wygornienſis epiſcopus, quod licet omnia monaſteria & prioratus in ſua dioceſi conſtituti, ad ipſius juriſdictionem pleno jure pertineant, de jure communi ; prior tamen majoris Malvern, & ejuſdem loci conventus Wygorn. ſibi quoad obedientiam debitam preſtandam, in juri-

[u] Fol. 169.

bus

bus legis dioceſane & juriſdictionis, contradicunt parere, non permittentes ipſum in eodem prioratu, priorem inibi inſtituendum inſtituere, deſtituendum deſtituere, viſitationis officium exercere; procurationes etiam ei debitas non perſolvunt, correctionibus ſuis recuſant nequiter ſubjacere. Unde petit judices ſupradictos. Iſta impetratio fundata eſt ſuper illa Decretal. De religioſis domibus, c. De ſinedochiis, & XVI. q. vir omnes baſilice.

Item S. S. veſtre, idem ſicut prius. Quod cum prioratus majoris Malverne ſit in Wygornienſi dioceſi conſtitutus, & de ipſius dioceſani epiſcopi debeat ordinari conſenſu, prior ejuſdem prioratus epiſcopi aſſenſu minime requiſito, monaſterio ſancti Petri Weſtmonaſterienſis Lond. dioceſeos ab omni juriſdictione ordinaria, ſicut dicit, exempto, dictum prioratum ſubjecit ſeu univit, quantum in ipſo fuit contra canonicas ſanctiones, unde petit judices, ut ſupra. Iſta impetratio fundata eſt ſuper illa Decretal. tit. De ex prela. ſicut unire. Item ſupplicat ſicut prius quod cum idem in quieta poſſeſſione ſubjectionis & obedientie omnimode pacifica extiterit in prioratu predicto, frater Ricardus abbas Weſtmonaſterienſis, & ejuſdem loci conventus London dioceſeos, nec non frater Willelmus qui ſe dicit priorem dicti prioratus,

&

& ipſius loci conventus Wygornienſis dioceſeos ipſum predicta poſſeſſione ſua vel quieta temere ſpoliarunt. Unde petit judices, ut ſupra. Item quod cum ipſe ex officio ſuo procedens fratrem Willelmum de Ledebury, quondam priorem majoris Malverne, Wygornienſis dioceſeos, fratres Ricardum dictum le Meillur, Willelmum de la Were, Symonem de Wygornia, Willelmum de Alynceſtre, Robertum de Poywyke, & alios monachos prioratus predicti, propter manifeſtam contumaciam & offenſam, ſententia majoris excommunicationis innodaverit, juſtitia ſuadente, petit talem ſententiam a ſede apoſtolica confirmari, vel petit ſic. Item quod cum ipſe nuper ad prioratum majoris Malverne cauſa viſitationis inibi faciende perſonaliter declinaret, qui quidem prioratus ſibi ſubjicitur pleno jure, & ipſe omnimodam juriſdictionem ibidem exercuerit, a tempore cujus memoria non exiſtit. Frater Willelmus de Ledebury, qui ſe gerit priorem loci ipſius & conventus, ad viſitandum ipſum admittere & correctionibus ſuis recuſarunt contumaciter ſubjacere; propter quod idem epiſcopus in priorem, ſuppriorem, celerarium, ſacriſtam, & precentorem ſententiam majoris excommunicationis fulminavit, juſtitia exigente, & eundem prioratum ſubpoſuit interdicto; petit dictas ſententias

K confir-

confirmari. Item petit quandam literam impetrari in curia Romana que vocatur Ea que de bonis, in majori forma per procuratores ſuos magiſtros E. de Wareſend & Johannem de Butterleg, vel eorum alterum; & rogat quod plus ſolito ſint diligentes ac plus vigilantes circa impetrationes per ſe faciendas, & in contradictionibus opponendis, & literis conventionum ac impetrationum copiis tranſmittendis, quia previſa jacula minus ledunt. Item ſignificat quod cum idem nuper ad prioratum majoris Malverne cauſa viſitationis accederet, fratrem Willelmum de Ledebury ipſius monaſterii tunc priorem variis criminibus irretitum amovit a dicti regimine prioratus, concedens ipſius loci conventui liberam poteſtatem alium ſibi eligendi priorem: ipſi autem ad electionem canonice procedentes, fratrem Willelmum de Wyckewane ſibi elegerunt concorditer in priorem; qui cum cauſa confirmationis obtinende a predicto epiſcopo patriam peragraret, abbas Weſtmonaſterienſis de conſenſu conventus ſui eundem electum & fratres W. de Mathine, Ricardum de Burlyngham, & Robertum Wither, violenter cepit, & in carcere detinuit, & adhuc detinet vinculis alligatos; unde predictus frater Robertus Wyther propter aſperitatem carceris jam, ſicut dicitur, expiravit, in prejudicium juriſ-

juriſdictionis ſue; & juris non modicam leſionem, petit judices, ut ſupra. [x]

Denuntiatio excommunicationis late in monachos majoris Malverne.

Venerabili in Chriſto domino Ricardo Dei gratia Conventr. & Lich. epiſcopo, Godfridus miſeratione divina miniſter eccleſie Wygornienſis, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Quia fratres Willelmum de Ledebury, Willelmum de la Were, Ricardum le Meillur, Willelmum de Alynceſtre, Johannem de Perſore, Symon de Wygornia, Robertum de Poiwyke, & David de Kyncton monachos prioratus majoris Malverne, noſtre dioceſeos, nobis pleno jure ſubjectos, ob manifeſtas ſuas contumacias & offenſas majoris excommunicationis ſententia innodavimus, juſtitia exigente, qui in veſtra [Hereford *additur in altera manu*] dioceſi converſantes quandoque communioni fidelium ſe ingerunt inſollenter claves eccleſie contempnendo; veſtram paternitatem rogamus attente, quatenus obtentu mutue viciſſitudinis, & precum noſtrarum inſtantia velitis precipere, ut contumaces predicti excommunicati taliter per veſtram [Hereford] dioc. ſolempniter & publice nuntientur & ab om-

[x] Folio. 170. a

nibus arcius evitentur, donec abſolutionis beneficium Deo reconciliati & eccleſie in forma juris meruerint optinere. Veſtram incolumitatem dirigat Altiſſimus, & conſervet per tempora diuturna. Datum apud Kemſey xiii. kalend. Martii, anno Domini ſupraſcripto.[y]

Inhibitio curie Cantuarienſis pro Malvernia majori.

Reverendo in Chriſto patri & domino, Godfrido Dei gratia Wygornienſi epiſcopo, officialis curie Cantuarienſis, ſalutem & tanto patri reverentiam in Domino genuflexam. Sua nobis procurator domini abbatis Weſtmonaſterienſis petitione monſtravit, quod licet dictus abbas prior & conventus loci ejusdem & ſuum monaſterium, una cum omnibus cellis ſuis & prioratibus a monaſterio Weſtmonaſterienſi ſupradicto dependentibus, prioribus & monachis eorundem, & ſpecialiter prioratu majoris Malvern a dicto monaſterio dependente, priore & monachis loci ipſius ſeu ibidem morantibus, per privilegia ſedis apoſtolicæ ab omni jurisdictione ordinaria adeo ſunt exempti, quod nullum habuerunt ordinarium hactenus, preter Romanum pontificem, vel ſupradictum abbatem, nec habeant in preſenti. In cujus exemptionis, immunitatis ſeu juris poſſeſ-

[z] Folio, 155. b.

ſione

ſione vel quieta, dicti abbas & conventus, cum ſuis cellis, prioratibus, & monachis predictis extiterant ab antiquo, & in preſenti exiſtunt, prout hec omnia per Cantuarienſem provinciam dudum fuerunt, & adhuc ſunt publica, ut aſſerit, notoria & manifeſta; vos tamen ut aſſerit non inſcii premiſſorum, falcem in meſſem alienam ſcienter aſtuta preſumptione mittentes, dictam cellam ſeu prioratum Malverne, priorem, & monachos loci ejusdem viſitare de facto auctoritate ordinaria preſumpſiſtis, priorem, & ſuppriorem, & quoſdam alios miniſteriales loci ejuſdem qui ſub dicta immunitate & exemptione de jure extiterunt & exiſtunt, dictorum abbatis & conventus Weſtmonaſterienſis, ad quos ex privilegio ſedis apoſtolice ſpeciali inſtitutiones & deſtitutiones eorundem ab antiquo pertinuit, & in preſenti pertinere dinoſcitur; in nullo accedente conſenſu de facto, cum hoc vobis prout noſtris de jure non licuit, in contemptum ſancte Romane eccleſie ad quam dicta abbathia cum ſuis cellis & prioribus ab antiquo pertinuit & adhuc pertinet pleno jure; dictorumque abbatis & conventus Weſtmonaſterienſis & eccleſie ſue prejudicium non modicum; amoventes aliosque loco eorundem ſubſtituentes voluntarie potius quam judicio rationis; ſigillum etiam commune celle ſeu prioratus Malvern ſupradicti detinere, & jurisdictionem ordi-

ordinariam in cella eadem exercere de facto dictumque abbatem in quem nullam jurisdictionem habuiſtis ordinariam vel etiam delegatam tanquam de jurisdictione veſtra fuiſſet citare, graveſque minas & feroces eidem abbati & ſuis per vos & veſtros inferre, dictamque cellam per veſtros armatos ſatellites occupare per intruſionem & violentiam minus provide ut aſſerunt preſumpſiſtis, ipſumque abbatem quo minus officii ſui debitum inibi exerceret contra juſtitiam impedientes ſeu etiam perturbantes vel facientes taliter impediri; hiis etiam gravaminibus non contenti fratrem Willelmum de Ledebury celle ſeu prioratus predicti priorem per dictos abbatem & conventum Weſtmonaſterienſem ibidem canonice inſtitutum, contra juſtitiam & privilegia ſupradicta, incarcerari feciſtis ſeu etiam procuraſtis, ipſamve incarcerationem veſtro nomine factam ratam habuiſtis preter modum, & acceptam; ipſum inſuper abbatem in quibusdam ſuis maneriis facientes de facto citari, cum de veſtra jurisdictione nequaquam exiſteret, in eosdem abbatem fratrem W. priorem prioratus predicti, monachos & alios ipſis prout debuerant adherentes, & ſub dicta exemptione ut premittitur exiſtentes, ſuſpenſionis & excommunicationis ac in loca eorundem interdicti ſententias, poſt provocationem per eosdem abbatem, &

con-

conventum ſeu ipſorum nomine ad ſedem apoſtolicam & tuitionem curie Cantuarienſis ne aliquid in eorum prejudicium per vos vel alium circa premiſſa fieret, legitime interpoſitam de facto, cum hoc vobis non licuit promulgaſtis, ipſaſque ſententias per veſtram dioceſim poſtmodum publicare feciſtis, contra privilegia a ſede apoſtolica dudum ipſis religioſis quod vos non latebat prout aſſerunt indulta; quod non poſſint nec debeant a quoquam excommunicari, ſuſpendi vel interdici ullo loco ullave de cauſa, ſine mandato ſummi pontificis ſpeciali; aliaſque religioſis eiſdem nimis graves & injurioſi hactenus extitiſtis: propter quod dictus procurator abbatis ſentiens ipſum & religioſos predictos ex premiſſis & eorum quolibet per vos indebite pregravari, ſacroſanctam ſedem apoſtolicam & pro tuitione curie Cantuarienſis legitime ut aſſerit appellavit & etiam provocavit, ne quid ulterius per vos vel alium occaſione premiſſorum contra dictos religioſos vel in eorum prejudicium quoquomodo fieret, memorato conventu appellationem & provocationem hujus ratificante. Quare vobis inhibemus & per vos quibuſcunque veſtris ſubditis inhiberi mandamus, ne dicto tuitionis negotio in curia Cantuarienſi pendente circa premiſſa vel eorum occaſione quicquam attemptetis, vel attemptent in partis prejudicium

cium appellantis, faciatis vel faciant, ſeu etiam permittatis quatenus in vobis eſt attemptari, quo minus eadem pars appellans liberam proſecutionem habeat appellationis ſue prout jus exigit utriuſque. Vos etiam peremptorie citamus quod compareatis coram nobis vel noſtro commiſſario in eccleſia beate Marie de Arcubus London. proximo die juridico poſt Dominicam qua cantatur Letare Jeruſalem, facturus & recepturus in dicto tuitionis negotio quod juſtitia ſuadebit. De die vero receptionis preſentium & quid inde feceritis, nos vel noſtrum commiſſarium dictis die & loco certificetis aperte, per literas veſtras patentes harum ſeriem continentes. Dat. Lond. vii. kalend. Martii, anno domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo [z].

Revocatio tuitionis in cauſa de Malverna ad examen domini Cantuarienſis Archiepiſcopi.

FRater Johannes, &c. dilectis in Chriſto filiis, officiali ſuo vel decano beate Marie de Arcubus Lond. ipſius commiſſario, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Venerabile fratre noſtro epiſcopo Wygorn. recepimus referente quod ...... abbas Weſt-

z Folio. 173. a

mon.

mon prioratum majoris Malverne ſibi aſſerens pleno jure ſubjectum, ipſum ſuam diocesim nuper viſitantem in eodem prioratu viſitationis officium exercere irreverenter impedivit, & tam priorem quam monachos ipſius prioratus a ſubjectione & obedientia ipſius epiſcopi ſubtrahere nititur, licet ipſe & predeceſſores ſui, viſitationem & alia jura epiſcopalia inibi exercuerunt, a tempore cujus memoria non exiſtit. Verum ad roborandam facti ſui perniciem, ad papam & tuitionem noſtre curie idem abbas ſe appellaſſe confingens, eundem epiſcopum ad proximum diem juridicum poſt Dominicam qua cantatur Letare Jeruſalem, ſuper hiis procuravit citari, quod compareat coram vobis vel veſtro commiſſario predicto in eccleſia beate Marie de Arcubus Lond. facturus & recepturus in dicto tuitionis negotio quod juſtitia ſuadebit. Nos igitur predictum tuitionis negotium volentes coram nobis certis ex cauſis tractari, vobis & utrique veſtrorum mandamus quatinus receptis teſtibus quos utraque pars ſuper hiis duxerit producendos, totum ipſius tuitionis negotium cum clauſis atteſtationibus, & toto proceſſu abſque more diſpendio, ad noſtrum remittatis examen, certum diem coram nobis ubicunque tunc in noſtra provincia fuerimus partibus prefigentes. Quid autem ſuper hiis feceritis, nos dictis die &

loco per litteras veſtras patentes *&c.* Dat. Cirenceſtre vi. id. Martii, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo. [a]

Litera regia ſuper negotio Malverne apud Montegomery reformando [b].

EDwardus &c. venerabili in Chriſto patri Godfrido eadem gratia Wygornienſi epiſcopo, ſalutem. Cum inter vos & dilectum nobis in Chriſto Ricardum abbatem Weſtmonaſterienſem theſſaurarium noſtrum ſuper viſitatione in prioratu majoris Malverne facienda contentio ſit ſuborta, cujus occaſione contentionis, predictus abbas fratrem Willelmum de Wykewane nepotem venerabilis patris Hugonis de Eveſham tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, fratrem Thomam Strecche, & duos alios monachos dicti prioratus cepit & in vili priſona apud Weſtmonaſterium captos tenet, & ipſos monachos male tractat, ut accepimus. Nos qui honorem & utilitatem veſtram & eccleſie veſtre, nec non & predicti abbatis & eccleſie ſue Weſtmon. que ambe ſunt de noſtro patronatu, plurimum deſideramus, contentionem predictam bono modo ſedari volentes, vobis man-

[a] Folio. 171. b [b] Folio. 177. a

damus,

damus, quod in propria perſona veſtra ſitis ad nos apud Montegomery a die Paſche in xv. dies, quem terminum eidem abbati prefiximus habendi predictos monachos coram nobis ibidem, & ad faciendum & recipiendum quid de conſilio noſtro in premiſſis duxerimus ordinandum; & habeatis ibi hoc breve. Teſte meipſo apud Abergonwey in Snoudon XVI. die Martii, anno regni noſtri undecimo.

Litera directa archiepiſcopo Cantuarienſi ſuper proceſſu Malvern [c].

SAncto patri & domino reverendo, domino Johanni Dei gratia Cantuarienſi archiepiſcopo, totius Anglie primati, Godfridus permiſſione divina miniſter eccleſie Wygornienſis, ſalutem & cum omni inclinatione devota ſubjectionem, reverentiam & honorem. Mandatum veſtrum recepimus in hec verba: Frater Johannes permiſſione divina Cantuarienſis eccleſie miniſter humilis, totius Anglie primas, venerabili in Chriſto fratri domino Godfrido Dei gratia Wygornienſi epiſcopo, ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem. Nuper in progreſſu noſtre viſitationis in veſtra dioceſi, intelleximus, fama puplica referente, quod abbas

[c] Folio. 174. b

Weſtmonaſterienſis quendam monachum, veſtrum ſubditum, capi fecit, & diris vinculis alligatum deduci extra juriſdictionem veſtram uſque Weſtmonaſterium, ubi adhuc eundem contra cenſuram eccleſiaſticam in contemptum eccleſiaſtice libertatis detinet carcerali cuſtodie mancipatum. Quod ſi ita eſt, non eſt dubium ipſum abbatem in excommunicationis ſententiam incidiſſe. Et quia tante preſumptionem nequitie ſub conniventia pertranſire nequimus, fraternitatem veſtram in Domino requirimus & hortamus, vobis nichilominus in virtute obedientie firmiter injungendo mandantes, quatenus hujus facti plenam & expreſſam veritatem, quantum inde ſcire poteritis, nobis quam citius fieri poterit, reſcribatis fideliter, per veſtras patentes literas harum ſeriem continentes. Valete ſemper in Chriſto & Virgine glorioſa. Dat. Cyrenceſtr. xi kal. Aprilis, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, ordinationis noſtre anno quinto.

Huic igitur mandato veſtro volentes obſecundare reverenter, ut decet, veritatem quam ſuper facto, de quo facit ipſius mandati veſtri ſeries mentionem, quam per clericos & laicos, religioſos & etiam ſeculares invenimus, de qua nobis & aliis ſimiliter notorie ſatis conſtat, veſtre ſancte paternitati duximus explanandam. Nobis

ſi

ſi quidem in prioratu majoris Malvern in craſtino beati Matthei apoſtoli preterito proximo viſitationis officium exercentibus, fratre Willelmo de Ledebury, tunc dicte domus priore; ex certis juſtis & legitimis cauſis in ipſo actu viſitationis depoſito, ſervato juris ordine undecunque, ac ſuppriori & aliis de conventu tributa licentia per nos eligendi alium canonice in priorem, ſupprior ipſe ac ceteri de conventu, omnes & ſinguli fratrem Willelmum de Wikewane, tunc priorem de Avecote Coventr. & Lichen. dioceſeos, ſuum confratrem, omni contradictionis obſtaculo ceſſante, in ſuum concorditer elegerunt priorem. Qui quidem electus electioni de ſe facte prebens aſſenſum, cum quibusdam aliis commonachis dicte domus ad nos acceſſit, modum electionis hujuſmodi nobis dilucide manifeſtans & aſſerens inter cetera ſe velle ... abbatem Weſtmonaſterienſem ex certis cauſis adire, extunc reverſurus celeriter ad nos pro ſua confirmatione ſecundum ſanctiones canonicas optinenda, ipſo abbate Weſtmonaſterienſi tunc apud Salopiam exiſtente. Ad quem cum ipſe acceſſiſſet electus, idem abbas veluti ei vehementer applaudens, eundem electum, Ricardum de Mathine, Ricardum de Burlingham, & Robertum dictum Wyther, confratres ſuos ſequentes eum, ibidem retinebat in menſa; familia ſua, equis

&

& phaleris interim in quodam loco ſatis vicino dimiſſis. Qui quidem abbas res electi predicti equos & cetera bona ad locum, quo ipſe abbas moram traxerat, precepit ſeu procuravit adduci; qua preſumptione contra predictum abbatem, ut premittitur, operante, electus prefatus caute volens recedere, ut graviora pericula evitaret, ab ipſo abbate commeatum recepit, & ſic vix domum illam egreſſus, ab ipſius abbatis familiaribus in porta exitus, cujus annulum tenebat in manu, detentus exiſtit & per violentiam redire coactus: & illico electus ipſe cum ſuis commonachis memoratis cuſtodibus traditus per abbatem predictum ac alios ſuos complices in totius ſancte religionis contemptum, ac quoad humanitatem quamcunque pernicioſam exemplum, & miniſtrorum Chriſti ſcandalum manifeſtum, nec non eccleſiarum Cantuarienſis & Wygornienſis prejudicium non modicum & gravamen, in diverſis curribus tanquam famoſi latrones, diris vinculis alligati, veritatis via & ſemita miſericordie deſertis penitus, ponebantur. Sicque, quod dolentes referimus, inde ad Weſtmonaſterium predictis curribus quibuſdam fraudis & diſſimulationis velaminibus coopertis, non abſque gravi prejudicio libertatis eccleſiaſtice, clam quaſi nocturnis temporibus, ducebantur. In quo quidem loco dictus

dictus electus, Ricardus de Mathine, & Ricardus de Burylngham huc uſque manſerunt, & adhuc remanent ſeorſum & ſeparatim diviſi, ut ipſorum augeantur angores, dire carcerali cuſtodie mancipati, predicto fratre Roberto Wyther pre nimii doloris anguſtia jam viam univerſe carnis ingreſſo. Et dictus abbas Weſtmonaſterienſis tam per dominum noſtrum regem Anglie ſecundum leges communes ipſius regni, quam per nos pro jure noſtre eccleſie Wygornienſis, noſtre juriſdictionis etiam ac pietatis intuitu, ad liberationem dictorum electi & fratrum, qui noſtri ſubditi dinoſcuntur, faciendam, multotiens in forma juris monitus & inductus, ſpiritu rebellionis quoad utrumque hominem in eo forſan vigente, predictos miſeros ſolito ſeverius detinet, & jubet artius cruciari; premiſſaque omnia & ſingula per totam noſtram dioceſim, nec non per Cantuarienſem provinciam pro maxima parte notoria & puplica undique reputantur. In cujus rei teſtimonium veſtre ſancte paternitati tranſmittimus, ſecundum veſtri mandati predicti exigentiam, literas has patentes. Datum apud Widind. x. kal. Aprilis, anno Domini M. C C. L X X XII [c].

Sententia Archiepiſcopi lata contra mona-

chos

chos Malvernie, & quoſdam Canonicos ſancti Oſwaldi Glouceſtr [d].

FRater Johannes permiſſione divina Cantuarienſis eccleſie miniſter humilis, totius Anglie primas, venerabili in Chriſto fratri domino Godfrido Dei gratia Wygorn. epiſcopo, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Cum. . . .prior. . . ſupprior. . . .precentor. . . .ſacriſta. . . . celerarius, camerarius, & frater Thomas dictus Oye, canonici domus ſancti Oſwaldi, Glouceſtre; item prior, ſubprior, precentor, ſacriſta, celerarius, & camerarius monaſterii majoris Malverne, veſtre dioceſeos, dum ſollicitudinem paſtoralem, & viſitationis debitum impendebamus officium, propter ipſorum multiplicatas contumacias & offenſas, exigente juſtitia, laqueo ſint per nos excommunicationis addicti. Fraternitati veſtre committimus & in virtute obedientie preſentium auctoritate diſtricte injungimus, & mandamus, quatenus predictos omnes & ſingulos in omnibus & ſingulis eccleſiis & locis ſolempnibus, ac aliis veſtre dioceſeos, excommunicatos ſolempniter & pupplice nuntietis & faciatis per alios nuntiari, pulſatis campanis, & candelis accenſis, ipſoſque tanquam excommunicatos ab omnibus artius evitari, ne

[d] Folio. 173. b.

cetcros

ceteros macula inficiant, quam pernicioſe & dampnabiliter contraxerunt, quouſque abſolutionis beneficium in forma juris meruerint optinere. Qualiter autem hoc noſtrum mandatum executi fueritis, nos citra Dominicam tertiam poſt paſcham venturam proximo, per veſtras patentes literas harum continentes ſeriem exquiſite certificare curetis. Diu vos conſervet Altiſſimus, & dirigat in honore. Dat. Cirenceſtr. X. kalend. Aprilis, ordinationis noſtre anno quinto.

Bulla contra Malvernenſes [e].

MArtinus epiſcopus, ſervus ſervorum, dilectis filiis . . . . de Certeſeya, & ſancte Fredeſwyde de Oxon. prioribus, Wynton. & Lincoln. dioceſeum, ac precentori eccleſie Wellenſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noſter . . . . . epiſcopus Wygorn. petitione monſtravit, quod licet prioratus majoris Malverne, ordinis beati Benedicti, Wygorn. dioceſeos, eidem epiſcopo lege dioceſana ſubjectus exiſtat, tamen Willelmus prior, & conventus ejuſdem prioratus, a juriſdictione ipſius epiſcopi ſe temere ſubtrahere molientes, dic-

[e] Folio 183. b.

tum epiſcopum ad viſitandum in dicto prioratu admittere, ac procurationem ratione viſitationis debitam eidem epiſcopo exhibere indebite contradicunt, in epiſcopi ac eccleſie Wygorn. predictorum prejudicium & gravamen; quamquam idem epiſcopus quam predeceſſores ſui fuerint in pacifica poſſeſſione vel quieta, viſitandi predictum prioratum, a tempore cujus memoria non exiſtit; dictique prior & conventus nullum ſuper premiſſis exemptionis privilegium habeant vel oſtendant. Quocirca diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum fuerit appellatione poſtpoſita decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel favore, timore, ſubtraxerint, cenſura ſimili appellatione ceſſante, cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrorum ea nichilominus exequantur. Datum apud Urbem Veterem non. Aprilis, pontificatus noſtri anno tertio.

Alia

Alia fere ſimilis[f].

MArtinus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis . . . . de Certeſeya & Fredeſwyde de Oxon. prioribus, Wynton. & Linc. dioceſeum, ac precentori eccleſie Wellenſis, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noſter epiſcopus Wygorn. petitione monſtravit, quod cum ipſe ad prioratum de majori Malverne ordinis ſancti Benedicti, Wygorn. dioceſeos, lege dioceſana ſibi ſubjectum, cauſa ibi exercende viſitationis, prout ad ſuum ſpectat officium, acceſſiſſet, Willelmus de Ledebury, qui pro priore ipſius prioratus ſe gerit, ac conventus dicti prioratus, ipſum ad hoc admittere contumaciter denegarunt, nichil rationabile proponentes quare hoc facere non deberent; dictus epiſcopus in eundem Willelmum ac Ricardum ſuppriorem prioratus predicti, quos invenit in hoc potius deliquiſſe, canonica monitione premiſſa, auctoritate ordinaria, exigente juſtitia, excommunicationis ſententiam promulgavit, quam dictus epiſcopus apoſtolico petiit munimine roborari. Quocirca diſcretioni veſtre per apo-

[f] Folio. 183. b.

ſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſententiam ipſam, ſicut rationaliter eſt prolata, faciatis auctoritate noſtra, uſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter obſervari. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe, *&c.* ut ſupra. Dat. ut ſupra.

Procuratorium epiſcopi Wygornienſis[g].

PAteat univerſis preſentes literas inſpecturis, quod nos Godſridus epiſcopus Wygorn. in omnibus cauſis & negotiis nos & eccleſiam noſtram tangentibus, dilectum nobis in Chriſto Thomam de Boys clericum noſtrum conſtituimus procuratorem, & damus eidem ſpecialem poteſtatem agendi, defendendi, appellandi, appellationem proſequendi, tam de veritate, quam de calumpnia in animam noſtram jurandi, ſtatus noſtri reformationem, & in integrum reſtitutionem petendi, conſentiendique quod, omiſſo cujuſlibet appellationis articulo in cauſa principali quacumque, in Cantuarienſi curia procedatur, procuratorem alium ad premiſſa ſubſtituendi, & omnia alia faciendi, que ſolent nomine procuratorio expediri. Et pro dicto procuratore noſtro & ſubſtituto ab eo quocumque rem ratam haberi, & judicatum ſolvi, ſub ypotheca rerum noſtra-

[g] Folio. 177. b

rum

rum promittimus. Datum apud Kemſey xi. kalend. Maii, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio.

Aliud Procuratorium [h].

PAteat univerſis preſentes literas inſpecturis, quod nos Godfridus Dei gratia epiſcopus Wygorn. magiſtris Willelmo Pikerel, & Ricardo de Vienne, noſtris clericis, damus & concedimus poteſtatem, ad jurandum in animam noſtram ſpecialiter ſecundum omnem formam & modum, & obligandum nos, & bona ad nos qualitercumque pertinentia, ad omne id faciendum, exequendum, & fieri fideliter procurandum, quod ad relevationem eccleſie provincie Cantuarienſis ab injuriis variis, uſurpationibus indebitis, & erroribus multiplicibus, quibus modernis temporibus opprimitur inſolenter, ſpectat vel ſpectare poterit quoquomodo; & ad agendum omnia, que ſecuritas pleniſſima exigit in hac parte. Nos etiam magiſtros predictos ad premiſſa noſtros veros & legitimos conſtituimus procuratores, ratum habituri & gratum quicquid iidem magiſtri Willelmus & Ricardus nomine noſtro ſuper hiis duxerint faciendum. Dat. apud Kemſey xi. kalend. Maii, anno ut ſupra.

h Folio. 178. a

Aliud

Aliud Procuratorium [i].

PAteat univerſis quod nos Godfridus, *&c.* in negotio tuitorie appellationis, quod agitur inter abbatem Weſtmonaſterienſem ex parte una, & nos ex altera, ac ejuſdem tuitorie appellationis eventum, in cauſa principali magiſtrum Ricardum de Vyenne, noſtrum clericum, noſtrum conſtituimus procuratorem, dantes eidem poteſtatem agendi, defendendi, appellandi, appellationem proſequendi, & conſentiendi, quod omiſſo quolibet appellationis articulo in cauſa principali pretacta, coram reverendo patre domino . . . . archiepiſcopo Cantuarienſi, vel ejus commiſſario procedatur; aut ſubſtituendi procuratorem alium ad premiſſa, & omnia faciendi, que ſolent nomine procuratorio expediri, & pro ipſo procuratore noſtro, nec non ſubſtituto ab eo quocumque, rem ratam habituri, & judicatum ſolvi ſub ypotheca rerum noſtrarum promittimus; in cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Datum die, loco, & anno Domini ſupradictis.

[i] Folio 178. 2.

Litera Archiepiſcopo Cantuarienſi excuſans abſentiam[k].

SAncto patri & domino reverendo, domino Johanni Dei gratia archiepiſcopo Cantuarienſi, totius Anglie primati, Godfridus miſeratione divina miniſter eccleſie Wygornienſis devotam obedientiam & reverentiam debitam cum honore. Quia dominus rex nobis precepit, quod apud Montegomery perſonaliter accedamus ad eum, cum quo certa negotia habemus tractanda, que non poſſunt, niſi cum ſpeciali ejus gratia expediri, prout ab exhibitore preſentium, ſi placuerit, plene poteritis intelligere: congregationi Londini faciende non valemus perſonaliter intereſſe, de quo novit Altiſſimus, in immenſum gravamen. Propter quod humiliter deprecamus, quatinus noſtram abſentiam neceſſariam habere dignemini excuſatam. Super agendis vero, ut eccleſia ferventiores & ſecuriores ſuos principales habeat defenſores, magiſtris Willelmo Pikerel, & Ricardo de Vyenne, noſtris clericis ſpiritualibus, & procuratoribus, dedimus poteſtatem ad jurandum in animam noſtram, & obligandum nos, & bona ad nos qualitercunque ſpectantia, ſicut or-

[k] Folio 178. a.

dinan-

dinandum duxeritis, & ſicut alii gradus ſimilis facient, & decreverint faciendum. Sed & nos ad partes vobis viciniores cum de domino rege fuerimus expediti, iter arripiemus indies veniendi, & tunc preſentialiter prompti erimus ad pretacta: cordi etenim nobis eſt, & noſtre anime intimum, quod ad relevationem eccleſie proviſio firma procedat, que ſecuritate omni qua poterit roboretur. Nobis igitur que veſtre complacuerint ſanctitati velitis injungere confidenter. Valeat veſtra ſancta paternitas ſemper in Domino Jeſu Chriſto. Datum ut ſupra.

Memoranda ſuper poſſeſſione Juriſdictionis Wygorn. epiſcopi, habite apud majorem Malverne[1].

UNiverſis ſancte matris eccleſie filiis magiſter Silveſter B. Dei gratia Cantuarienſis archiepiſcopi clericus, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quod cum tempore bone memorie Rogeri quondam Wygornienſis epiſcopi, domini mei, W. abbas Weſtmonaſterienſis Walterum priorem majoris Malverne auctoritate propria abſque conſenſu epiſcopi clanculo inſtituiſſet; idem epiſcopus prefatum priorem ſuſpendit, eumque ſuſpenſum tenuit: donec iidem abbas & prior ei de exceſſu ſuo ſatis-

[1] Folio 180. a.

fecerunt

fecerunt; ita quod omnibus que circa inſtitutionem prioris ipſius facta fuerunt, in irritum redactis, juſſu prenominati epiſcopi per officialem ſuum inſtitutus eſt. Cum itaque propter iter peregrinationis ſuſceptum, ad teſtandam veritatem cui interfui, plenarie intereſſe non poſſim, ad veritatis teſtimonium preſentes literas ſub ſigilli mei teſtimonio relinquo, anno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto.

Univerſis Chriſti fidelibus, ad quos preſens ſcriptum pervenerit, Walterus dictus prior majoris Malvern eternam in Domino ſalutem. Notum vobis facimus nos ſuſcepiſſe curam animarum, & adminiſtrationem ſpiritualium in eccleſia majoris Malverne per manum bone memorie Roberti Wygornienſis epiſcopi, anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo primo, in preſentia domini Willelmi Elyenſis epiſcopi, & apoſtolice ſedis legati, & in preſentia Ricardi archidiaconi Glouc. Hoc idem poſtea in preſentia domini Henrici Wygornienſis epiſcopi, anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo tertio, in jure confeſſi ſumus. Hiis teſtibus, Senato, priore Wygorn. & aliis.

Anno incarnationis Dominice milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, Dominica in Quinquageſima, dominus Willelmus de Bleys epiſcopus Wygornienſis, ſopita controverſia inter ipſum & priorem majoris Malvern ſuper

N ſub-

jectione & viſitatione, admiſſus fuit ſollempniter cum proceſſione apud majorem Malvern & procuratus, & craſtino intravit capitulum & predicavit cauſa viſitationis.

Item anno incarnationis Dominice milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto, Dominica Quinquageſime, idem dominus epiſcopus Wygornienſis apud majorem Malvern procuratus fuit, cauſa viſitationis.

Item anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo, dominus W. de Cantilupo, epiſcopus Wygornienſis, viſitavit apud majorem Malvern, & correxit corrigenda.

Item anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, mortuo Thoma priore majoris Malverne, epiſcopus Wygornienſis, vacante prioratu, habuit cuſtodiam, & facta axaminatione ſuper electione Johannis ſuccedentis, coram abbate & conventu Wynchecomb, confirmavit eum, & per officialem epiſcopi inſtallatus fuit, facta prius epiſcopo canonica obedientia.

Ricardus de Boudon quondam decanus de Poywyke tempore W. de Cantilupo, vacante prioratu Malverne, habuit cuſtodiam ipſius, & habuit ibidem cuſtodem Thomam de Henlege per ſex ſeptimanas dictum prioratum cuſtodientem, & tunc electus fuit prior Thomas a dicto epiſcopo confirmatus. Vice alia vacante, Rogerus vicarius

rius eccleſie de Henl. tunc decanus de Poywyke habuit cuſtodiam dicti prioratus per quatuor ſeptimanas per Walterum le Somynour; tunc vero electus fuit frater W. de Wykewane & ab epiſcopo confirmatus, qui modo eſt electus.

Memorandum de duobus brevibus regis de viridi cera que ſuperius in quaturno alio regiſtro regiſtrantur, quorum unum eſt quod vicecomes Wygornienſis caperet prioratum majoris Malvern in manum domini regis, cum omnibus pertinentiis ad eundem, ita quod reſponderet de exitibus ad ſcaccarium ſuum, cum fuerit requiſitus. Aliud breve eſt, quod idem vicecomes reddat & reſtituat dictum prioratum cum omnibus exitibus & perceptis fratri Willelmo de Ledebury, tanquam priori ipſius. Item memorandum de tribus brevibus regis directis vicecomiti Middleſex. ſigillatim & viciſſim pro liberatione carceralis cuſtodie fratris Willelmi de Wykewane electi dicti prioratus, per abbatem Weſtmonaſterienſem in diro carcere injuſte detenti, que ſuperius ſimiliter regiſtrantur.

Litera directa Magiſtris W. Pikerel & R. de Vyenne [m].

GOdfridus, *&c.* dilectis clericis ſuis magiſtris W. Pikerel, & R. de Vyenne, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Noverit dilectio veſtra quod dominus rex nec per ſe nec per aliquos ſui conſilii venit ad Montgomery, nec adventum ſuum contramandavit, uſque ad diem Martis proximam poſt quindenam Paſche; & quia a fide dignis recepimus, quod ſollempne ſollempnizabit parliamentum in Marchia, neſcitur tamen certitudinaliter quo loco nec quo die, ideo hujuſmodi certitudinem exſpectare decrevimus apud Hertlebury, quo certiorabimur, ut ſperatur in brevi. Hinc eſt quod domino regi & ſuo conſilio direximus ſcripta noſtra per nuntios ſatis efficaces pro liberatione fratris Willelmi de Wykewane a carcerali cuſtodia, in qua & per quem detinetur bene ſcitis, cujus exitum negotii adhuc penitus ignoramus. Ceterum mittimus vobis omnia inſtrumenta factum majoris Molverne contingentia, que penes nos in veſtro a nobis reſidebant receſſu. Teſtes vero ſatis ſollempnes ad manum habemus, quos ſine dilatione vobis mittemus ad in-

[m] Folio 180. b.

tentionem noſtram probandam tam contra religioſos Malverne, quam contra decanum & canonicos eccleſie beate Marie de Warrwike, cum per vos fuerimus requiſiti. Quid autem factum fuerit ultimo die litis in preſentia domini Cantuarienſis archiepiſcopi, ſi magis contra nos ſeu pro nobis, nobis per preſentem portitorem conſtare faciatis, & etiam quid in preſenti congregatione epiſcoporum fuerit ordinatum. Ad hec mittimus vobis literas tuitorias curie Cantuarienſis per priorem de Derhurſt tacita veritate ſed expreſſa falſitate impetratas, ſecundum quod magiſtri R. de Vyenna, & R. de Wychio melius norunt, quam juſtificare curetis prout decet, & hoc propenſiori cura, quia dictus prior, in eluſionem & contemptum noſtre juriſdictionis proterve appellavit, cui intendimus pro viribus in hac parte, pietate ſuadente, obviare. Bene valete.

Confirmatio ſententie late in Malvern per Wygornienſem Epiſcopum, deinde per Archiepiſcopum [n].

FRater Johannes permiſſione divina Cant. archiepiſcopus, totius Anglie primas, venerabili fratri, domino . . . .

[n] Folio 190. b.

Dei

Dei gratia Wygornienſi epiſcopo, ſalutem, & fraterne caritatis in Domino continuum incrementum. Nuper noſtri commiſſarii in tuitorie appellationis negotio, moto primo in curia noſtra apud Archubus London. ac poſtmodo coram nobis ipſum negotium ad examen noſtrum ſpecialiter revocarunt, inter abbatem Weſtmonaſterienſem a vobis ex certo gravamine appellantem, ut dicitur, ex parte una; & vos appellatum ex altera, rite procedentes: eidem abbati tanquam ſuam appellationem minime proſequenti, beneficium tuitionis ſecundum curie noſtre Cantuarienſis conſuetudinem approbatam denegarunt, juſtitia exigente, prout in actis ſuper hoc confectis plenius continetur. Nos autem quod per eoſdem commiſſarios actum eſt in hac parte ratum habentes & firmum, fraternitati veſtre mandamus, quatinus hujus appellatione ſeu inhibitione quacunque vobis a curia Cantuarienſi hactenus facta non obſtante; quod ex officio veſtro vobis incumbit, faciatis, & exequamini in premiſſis. Dat. apud Otteford ii. kalend. Maii, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio, ordinationis noſtre quinto.

Litera

Litera Epiſcopi domino Regi directa [o].

A Son treſcher ſeigneur Edward par la grace Deu noble rey de Engleterre, ſire de Hirlande & duke de Aquitaine; par ſuen devout par memes la grace preſtre de Wyreceſtre, ſey tot ſerviſe e reverence ove prere devoute, la benediction Deu e la ſove. Sire pour ceo ke il plout a votre ſeignioury e a jorner le abbe de Weſtm. e moy a eſtre devant vus a Montgomery a quinzeyne de Paſche ja paſſe: pour ſaver la reſon de la priſe dant W. de Wikewane elyt de la priorie de la grant Malverne; le quel ad eſte ja retenu en dure priſon a poy pus le ſeint Michel par le abbe avandit, par quey la meſon avantdite ſe perte pleynement e en eſpirituate, e en temperaute, com le portour de lettres vus ſavera dire de bouche, ſi le vous pleſt oyr; io prie a votre hauteſce humblement e devoutement, ke il vus pleſe mander e commander il avandit abbe de Weſtm. ke il me face liverer le avantdit elyt, pur quy io preng a main, ſur quant ke io teng de vus, ke io le averay preſt a voſtre commandement, a eſter adreit en voſtre curt, endreit de totes le choſes ke ly touchent, ke en voſtre curt puent eſtre termine

[o] Folio 180. b.

ou

ou devent par mile veye de dreyt. Tant enface ſi vus pleſt com cheſe de ſeint egliſe de votre terre, ke la avantdite priorie, neſe parperde niye pur defaute de voſtre grace. Adeu ke vus ſeit en tou vos fe ſi gracious, com nous deſirom ke il fuſt a nous. Donne a Hertlebr. le jour ſeint Johan. ante portam Latinam, le an ſuſnome.

Litera Archiepiſcopi Cantuarienſis ſuper ratihabitione ſententie late per dominum Wygornienſem Epiſcopum contra Malverne [p].

GOdfridus, *&c.* dilecto filio . . . . . archidiacono Wygornienſi, vel ejus officiali, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Mandatum domini J. Cantuarienſis archiepiſcopi, totius Anglie primatis, recepimus in hec verba: Frater J. permiſſione divina Cant. archiepiſcopus, totius Anglie primas, venerabili fratri, domino G. Dei gratia Wygornienſi epiſcopo, ſalutem, & fraterne caritatis in Domino continuum incrementum. Tranſmiſſas nobis literas certificatorias veſtras nuper recepimus tenoris & continentie infra ſcripte, que talis eſt: Sancto patri & domino reverendo, domino J. Dei gratia Cantuarienſi archiepiſcopo,

[p] Folio 181. b.

totius

totius Anglie primati, Godfridus miſeratione divina miniſter eccleſie Wygorn. ſubjectionem, obedientiam, & honorem. Veſtre ſanctitatis mandata recepimus in hec verba: Frater Johannes permiſſione divina Cantuarienſis eccleſie miniſter humilis, totius Anglie primas, venerabili fratri, domino Godfrido Dei gratia Wygorn. epiſcopo ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem. Cum prior, ſupprior, *&c.* de verbo ad verbum ut in, *&c.* *vide pag.* 88. Quod quidem mandatum veſtrum ſumus in omnibus plenius executi. Dat. apud Kemes, xi. kal. Maii, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio.

Verum quia dicti prior, ſupprior, precentor, ſacriſta, celerarius, & camerarius monaſterii majoris Malvern in ſua malitia gloriantes, prefatam excommunicationis ſententiam hactenus ſuſtinuerunt, & adhuc ſuſtinere non formidant animo indurato, ſua communione maculando populum Chriſtianum. Nos, cum eorum creſcente contumacia creſcere debeat & pena, contra eoſdem manus aggravare volentes, paternitati veſtre committimus, & mandamus, quatinus prioris mandati noſtri forme inherentes debito cum effectu, prefatos religioſos omnes, & ſingulos, ſic excommunicatos eſſe in majori eccleſia Wygornienſi, nec non & in ſingulis collegiatis & parochiali-

bus eccleſiis veſtrarum civitatis, & dioceſeos Wygornienſis, ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis, coram clero & populo inter miſſarum ſollempnia, pulſatis campanis, candelis extinctis, puplice & ſollempniter denuntietis, & faciatis denuntiari. Inhibentes ex habundanti Chriſti fidelibus veſtre juriſdictionis ſubditis univerſis, ne quis cum eis, aut eorum aliquo, emendo, vendendo, comedendo, bibendo, contrahendo, vel alio quovis modo, niſi in caſu a jure permiſſo, participare preſumat. De nominibus autem communicantium cum eiſdem diligenter faciatis, ſeu fieri procuretis, inquiſitionem, & quos culpabiles inveneritis citetis vel citari faciatis peremptorie; quod compareant coram nobis die tertia juridica proxima poſt feſtum ſancte Trinitatis proximum futurum, ubicunque in provincia vel dioceſi Cantuarienſi tunc fuerimus, nobis ſuper hiis reſponſuri, & penam pro meritis recepturi. Qualiter autem hoc mandatum noſtrum fueritis executi, nobis ad dictum diem fideliter intimare curetis per veſtras patentes literas harum ſeriem continentes. Dat. apud Lamehuth v. id. Maii, anno Domini ſupradicto, ordinationis noſtre quinto. Quocirca vobis diſtricte precipiendo mandamus, quatinus hoc mandatum quoad denuntiationem & inhibitionem infra ſcriptas diligenter in archidiaconatu Wygornienſi

gornienſi exequamini vice noſtra. Et quid inde feceritis, nos citra feſtum Pentecoſtes certificare curetis per literas veſtras patentes harum ſeriem continentes. Dat. apud Hertlebury xiv. kalend. Jun. conſecrationis noſtre anno quindecimo.

Memorandum quod conſimilis litera directa fuit archidiacono Glouc. ſub eodem dato, de verbo ad verbum.

Pronuntiatio excommunicationis late contra Monachos Malverne [q].

GOdfridus, *&c.* archidiacono Glouc. vel ejus officiali, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Meminimus vobis noſtrum direxiſſe mandatum continentie infraſcripte. Godfridus permiſſione divina, *&c.* archidiacono Glouc. vel ejus officiali, ſalutem, *&c.* Multiphariam hoſtis antiquus deſolationem inducere ſatagens, *&c.* de verbo ad verbum ut ſuperius, videlicet, *&c.* *vide pag.* 38 *&* 39. Verum cum abbas Weſtmonaſterienſis ad ſedem apoſtolicam, & ad tuitionem curie Cantuarienſis ſe appellaſſe confingens, hujuſmodi tuitorium negotium in curia Cantuarienſi diutinus contra nos ageret: noſque tandem ab examine ipſius curie dimiſſi fuerimus, & no-

[q] Folio 156. b.

bis ſignificaverit dominus archiepiſcopus Cantuarienſis, quod non obſtante aliqua inhibitione nobis facta a curia ſupradicta contra contumaces predictos, libere noſtra juriſdictione uteremur, ſicut in literis ejuſdem domini archiepiſcopi plenius continetur; qui in ſua malitia gloriantes, preſcriptas ſententias animo indurato ſuſtinent, claves eccleſie contempnendo, & ſua converſatione nepharia maculando populum Chriſtianum. Nos ob ipſorum creſcentem contumaciam, ſub Dei adjutorio, contra eos manus aggravare volentes, vobis diſtricte precipiendo mandamus, quatenus inherendo forme mandati noſtri prioris, prefatos monachos omnes & ſingulos ſic excommunicatos, & in omnibus & ſingulis eccleſiis tam parochialibus, quam aliis archidiaconatus Glouceſtrenſis, diebus Dominicis & feſtivis inter miſſarum ſollempnia in fidelium preſentia pleniori, pulſatis campanis, candelis extinctis, publice & ſollempniter nuntietis, & facias per alios nuntiari: omnibus & ſingulis inhibentes, ne quis cum eis, aut eorum aliquo, emendo, vendendo, comedendo, bibendo, contrahendo, aut quocunque modo alio, niſi duntaxat in cauſa a jure permiſſa, participare aut communicare preſumat. Et de nominibus cum ipſis contra inhibitionem hujuſmodi communicantium, ſollicite inquiratis, ſeu faciatis

tis inquiri: & quos ſic reos inveneritis, citetis, vel facias citari peremptorie, quod compareant coram nobis, aut noſtro commiſſario in noſtra cathedrali eccleſia Wygorn. die tertio juridico poſt feſtum nativitatis beati Johannis Baptiſte, nobis ſuper hoc reſponſuris, & penam condignam pro demeritis recepturis. Qualiter vero mandatum noſtrum fueritis executi, nobis aut noſtro commiſſario ad diem & locum eoſdem intimare curetis fideliter per veſtras literas harum ſeriem continentes. Dat. apud Hartlebure xiv. kal. Jun. anno ſupradicto.

Memorandum quod xiv. kal. Jun. apud Hertlebure quatuor paria literarum formam ſequentem continentium, de verbo ad verbum emanarunt, que directe fuerunt . . . officiali archidiaconi Wygorn. officiali domini epiſcopi Wygorn. & decano de Poywyke.

Citatio contra communicantes cum excommunicatis Malverne[r].

GOdfridus, *&c.* . . . . de Wygorn. & de Perſora decanis, ſalutem, *&c.* Auctoritate mandati domini archiepiſcopi Cantuarienſis nobis directi, vobis precipiendo mandamus, quatenus omnes & ſingulos in-

r Folio 157. b.

ſraſcriptos,

fraſcriptos, qui cum monachis majoris Malvern ob ſuas contumacias & offenſas majoris excommunicationis ſententia, dum jure metropolitano noſtram dioceſim viſitaret, innodatis per eum, contra inhibitiones ipſius, claves eccleſie comtempnendo, communicarint illicite: ſicut in inquiſitione, quam inde fieri fecimus, evidenter apparet; in veſtris decanatibus commorantes citetis peremptorie, quod compareant coram eodem domino archiepiſcopo die quarto juridico poſt feſtum Trinitatis, ubicunque tunc fuerit in Cantuarienſi dioceſi, vel provincie Cantuarienſis, ſuper illicita communione predicta reſponſuris, & juſtitiam recepturis. Hec vero ſunt nomina citandorum: Johannes Comyn, Willelmus Carcerarius de Wygorn, Johannes Oſebern, Robertus de Wychio, Stephanus Spagard, Alexander Theke, Johannes Gauge, Petrus Coyntrel, Johannes Ters, Nicholaus Joukyn, David Piſtor, Johannes Turkel, Thomas de Slocroft, Hugo de Longo Campo, Robertus de Baldenhall, dominus Willelmus de Goldynham, Miles, ſeneſcallus domini com. Glouc. Johannes Hullebrit, Galfridus de la Berwe, Mylys de Malvern presbyter, Alic. Gilbertus, Johannes le Bedel, Hugo Cocus, Robertus de la Grange, Willelmus Pride, Robertus Garſant, Robertus filius presbyteri de Baldenhale, Johannes frater ejus, Johannes

nes Dowles, Rogerus Clericus, Robertus le Brewere, Johannes Molendinarius, Walterus de la Pole, Willelmus & Stephanus filii ipſius Walteri, ac Ricardus Gaugy, & Johannes Polle, de Baldynhall. Qualiter vero vos ambo, & utrique veſtrorum noſtrum mandatum fueritis executi, nos abſque mora aliqua certificare curetis aperte. Dat. apud Hertlebure v. kal. Jun. anno conſecrationis noſtre quindecimo.

Conſimilis litera directa fuit officiali Wygornienſi, cum eadem data, de verbo ad verbum.

Monitio & citatio facta contra communicantes cum Maverne [f].

GOdfridus, *&c.* de Wygorn. & de Poywyk . . . . . decanis, ſalutem, *&c.* Auctoritate mandati domini archiepiſcopi Cantuarienſis nobis directa, vobis precipiendo mandamus, quatenus omnes & ſingulos infraſcriptos, qui cum monachis majoris Malvern ob ſuas contumacias & offenſas majoris excommunicationis ſententia, dum jure metropolitico noſtram dioceſim viſitaret innodatis per eum, contra inhibitiones hujuſmodi claves eccleſie contempnendo communicarunt illicite, ſicut in inquiſitione, quam inde fieri fecimus, evidenter apparet; in veſtris decanatibus commo-

[f] Folio 182. a.

rantes,

rantes, citetis peremptorie, quod compareant coram eodem domino archiepiſcopo die quarto juridico poſt feſtum Trinitatis, ubicunque tunc fuerit, in civitate, diocefi, vel provincia Cantuarienſi, ſuper illicita communione predicta reſponſuri, & juſtitiam recepturi. Hec vero ſunt nomina citandorum: Willelmus Cartarius de Wygorn. Johannes Oſebern, Robertus de Wychio, Stephanus Spagard, Alex. Theke, Johannes Gauge, Petrus Coyntrel, Johannes Ters, Nicholaus Joukyn, David Piſtor, Johannes Turkel, Thomas de Slocroft, Hugo de Longo Campo, Robertus de Baldenhalle, Johannes Hollebrit, Galfridus de Beruwe, Milo de Malvern presbyter, Johannes le Budel, Hugo le Kue, Willelmus Pride, Ricardus Garſant, Robertus filius presbyteri de Baldenhale, Walterus le Brut, Johannes de Chaddeſleg Glouceſtrenſis, Henricus del Hocke ballivus de Wyeſton, Willelmus de Penbroke de Stanleg Regis, Johannes frater Roberti filii presbyteri de Baldenhal, Johannes Doules, Rogerus Clericus, Robertus de Berwe, Johannes le Mouner, Walterus de la Pole, Willelmus & Stephanus filii ipſius Walteri, Ricardus Gaugy, Johannes Polle de Baldenhale, Johannes de Colethrop, Johannes de Ledebury ballivus manerii de Langeney, Alexander de Elmore, Adam de Ledebury, Johannes de Herlyngham, Galfridus

fridus Cartarius, Rogerus Aylmond, Johannes Agu de Langeney, & Willelmus Capellanus beate Virginis de Langeney. Qualiter vero vos ambo, & uterque veſtrorum noſtrum mandatum fueritis executi, nos abſque mora aliqua certificare curetis aperte. Dat. apud Hertlebury iv. kalend. Jun. anno xv.

Litera Epiſcopi ſuper Viſitatione Malverne [t].

GOdfridus, *&c.* dilectis filiis ſuppriori, & conventui majoris Malverne, viam agnoſcere veritatis, a qua in ſuarum periculum animarum hactenus receſſerunt. Quia ea que de novo emergunt, novo auxilio indigent, & nunc nove cauſe ad noſtram audientiam pervenerunt, que nos ad viſitandum veſtrum monaſterium, ſicut ex officio noſtro tenemur, inducunt; vobis ſignificamus quod hac die Martis proxima poſt feſtum ſancte Trinitatis intendimus, Domino concedente, vos ac veſtrum monaſterium, more conſueto & debito viſitare, per nos vel alios quos ad hoc duxerimus deputandos. Quocirca vobis mandamus, quatinus vos omnes & ſinguli tunc ſitis preſentes ibidem, nos vel noſtros commiſſarios taliter viſitan-

[t] Folio 182. b.

tes recepturi, & facturi quod fuerit rationis & juris; quodque vos confratres abſentes ad diem predictum convocetis legitime ad id idem. De die receptionis preſentium, & quid inde feceritis, nos certificetis literatorie per preſentium portitorem. Dat. apud Weſton vi. id. Jun. anno xv.

Litera directa Hugoni Cardinali pro liberatione prioris majoris Malverne [u].

VEnerabili in Chriſto patri, domino Hugoni Dei gratia tituli ſancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, Godfridus, *&c.* reverentiam cum honore & promptam ad bene placita voluntatem. Veſtram paternitatem affectuoſe rogamus, quatenus contra abbatem Weſtm. & monachos majoris Malverne, qui jura, juriſdictionem noſtre ecclefie, & veſtram juriſdictionem archidiaconalem in ea, impedire & perperam perturbare conantur, ac impediri & perturbari procurant; ſicut ex recitatione literarum quas habet lator preſentium vobis cum placuerit exhibendas perpendere poteritis, eandem noſtram eccleſiam ſed & veſtram juriſdictionem cum benevolentia ſolita defenſare velitis, quam quantum ad nos pertinet integram conſervabimus & il-

[u] Folio. 182. b.

leſam.

leſam. Si quidem quia frater Willelmus de Wykewane, electus in priorem monaſterii majoris Malverne veſter conſanguineus eſſe dinoſcitur, eo animoſius inſtetimus hactenus, & adhuc quantum poſſumus laboramus, ut ipſe a diro & vili carcere liberetur, quo per abbatem predictum in veſtrum & noſtrum prejudicium detinetur, quamquam noſter conatus ob occupationem domini regis in Wallia nondum ſit ſortitus effectum, ſed & continue laborabimus & indeſinenter inſtabimus totis viribus ad id idem. Vobis augeat Dominus honorem, dierum longitudinem, & ſalutem. Dat. apud Weſton vi. id. Jun. anno gratie milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio.

Commiſſio in ſolidum Prioris ſancte Fredeſwyde Oxon [x].

. . PRior ſancte Fretheſwyde de Oxon. judex, miniſter ſeu executor una cum diſcretis viris priore de Serteſeya, & precentore eccleſie Wellenſis delegatus a ſede apoſtolica ſeu deputatus; diſcretis viris . . decano Wellenſi, magiſtris Waltero de Bathon. & Waltero de Brandon canonicis eccleſie Wellenſis predicte, ſalutem in eo qui eſt omnium fidelium vera ſalus; ad exequendum contra fra-

[x] Folio. 183. b.

trem Willelmum de Ledebury, qui ſe gerit pro priore prioratus majoris Malverne Wygorn. dioc. & Ricardum ſuppriorem loci ejuſdem, ſecundum tenorem reſcripti apoſtolici ad inſtantiam venerabilis patris domini Wygornienſis epiſcopi nobis directi, ut premittitur contra eos; ac faciendum ſimiliter omnia & ſingula, que juriſdictionis, executionis officii ſeu negotii hujus modus ſeu exercitium qualitercumque requirit, vobis cum cohercionis poteſtate legitima committimus vices noſtras; ita quod duo unuſve veſtrorum, unius abſentis ſeu duorum abſentium, non expectata preſentia vel abſentia aliquatenus excuſata, juxta ipſius reſcripti ſeriem procedant libere, vel procedat. Dat. Oxon. iii. idus Jun. anno Domini MCCLXXXIII.

Commiſſio Prioris de Serteſeya non in ſolidum [y].

. . . . PRior de Serteſeya, judex, miniſter ſeu executor delegatus a ſancta ſede apoſtolica, ſeu deputatus, diſcreto viro . . . . precentori Wellenſi, college ſuo; ſalutem in eo qui eſt omnium fidelium vera ſalus; ad exequendum contra Willelmum de Ledebury, qui ſe gerit pro priore

[y] Folio. 184. a.

prioratus

prioratus majoris Malverne, Wygorn. dioceſeos, Ricardum ſuppriorem loci ejuſdem, ſecundum tenorem reſcripti apoſtolici ad inſtantiam venerabilis patris domini Wygornienſis epiſcopi nobis ac priori ſancte Fretheſwide de Oxon. & vobis directi, nec non ad faciendum omnia & ſingula que juriſdictionis, executionis officii ſeu negotii hujus modus cognitio vel exercitium qualitercunque requirit, vobis cum cohercionis poteſtate legitima committimus vices noſtras, quouſque eas duxerimus revocandas. Dat. apud Serteſeiam II. id. Junii, anno ut ſupra.

Commiſſio contra communicantes cum excommunicatis Malverne [z].

GOdfridus, *&c.* dilectis filiis . . . . . ſuppriori . . . . precentori noſtre eccleſie cathedralis Wygorn. & magiſtro Ricardo de Vyenne, rectori eccleſie de Olveſton, ſalutem, gratiam, & benedictionem. In negotio quod agitur ſeu agi ſperatur ex noſtro officio contra communicantes in hiis de prioratu majoris Malverne, quos dudum ob ſuas offenſas & contumacias manifeſtas, majoris excommunicationis ſententiis innodavimus, juſtitia ſuadente, vobis conjunctim & diviſim committimus vices

z Folio 182.

noſtas,

noſtras, cum cohercionis canonica poteſtate; ita quod duo veſtrorum, unius abſentis non exſpectata preſentia, vel aliquatenus excuſata, in dicto negotio prima ratione procedant. Dat. apud Weſton ſub Egge II. idus Junii, anno noſtre conſecrationis quinto decimo.

Alia commiſſio ſuper eodem negotio [a].

GOdfridus, *&c.* dilecto filio magiſtro Johanni, officiali ſuo, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Cum fama puplica deferente ad nos nonnulla de prioratu majoris Malvern, noſtre dioceſeos, pervenerint nunc de novo, que ad viſitationis officium exercendum ibidem ob ſollicitudinis paſtoralis debitum nos inducunt; occupati cauſis variis & multis noſtris negotiis hiis diebus hoc facere perſonaliter non valentes, & certam de veſtre diſcretionis induſtria fiduciam optinentes, vobis in prioratu eodem predictum viſitationis officium committimus ſpecialiter, cum cohercionis canonica poteſtate. Et in virtute ſancte obedientie injungimus per perſentes, quod ea corrigatis & reformetis in ipſo, que correctione & reformatione inveneritis indigere; ut de hoc exactam poſſitis in tremendo diſtricti judi-

[a] Folio 182.

cii

cii examine reddere rationem. Dat. apud Weſton ſub Egge II. idus Junii, anno gratie milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio, & quinto decimo noſtre conſecrationis.

Archiepiſcopus contra. . . . Mal-verne [b].

FRater Johannes permiſſione divina Cantuarienſis eccleſie miniſter humilis, totius Anglie primas, venerabili fratri domino Godfrido, Dei gratia Wygorn. epiſcopo, ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem. Licet dudum fratrem Willelmum de Ledebury gerentem ſe pro priore monaſterii majoris Malvern, veſtre dioceſeos, ſuppriorem, precentorem, ſacriſtam, celerarium, & camerarium loci ejuſdem, propter eorum multiplicatas contumacias & manifeſtas offenſas, exigente juſtitia, excommunicationis majoris ſententia innodavimus, eoſque in omnibus & ſingulis eccleſiis ac aliis locis ſollempnibus in eadem dioceſi undique conſtitutis nuntiari fecimus, pulſatis campanis, & candelis accenſis puplice ac ſollempniter ſic ligatos, ac inhiberi etiam univerſis & ſingulis veſtre juriſdictioni qualitercumque ſubjectis; ne quis cum eis, aut eorum aliquo, emendo, vendendo, comedendo, bibendo, ſeu quovis alio com-

[b] Folio 184. a.

munionis

munionis genere, niſi in caſu a jure patenter expreſſo, ſub pena excommunicationis quam in contravenientes in ſcriptis tulimus, preſumet communicare; ne ceteri forſan inſontes ſuo contactu nephario inficientur ex macula, quam pernitioſe & dampnabiliter contraxerunt. Ipſi tamen qui non re, ſed tantum nomine religioſi cenſentur, in ſuis rebellionibus & erroribus, in eccleſiaſtice diſcipline contemptum, non abſque gravi animarum periculo ac ſcandalo plurimorum eo huc uſque perſeverarunt dampnabilius, quo, ad eorum medelam cogitando ferventius operam impendimus ſalutarem. Quocirca fraternitati veſtre committimus & in virtute obedientie tenore preſentium diſtrictius injungendo mandamus, quatinus a denuntiationibus, inhibitionibus & cohercionibus aliis, que in priori mandato noſtro continentur expreſſius, ſecundum ipſius mandati ſeriem faciendam minime deſiſtentes; ſed vice & auctoritate noſtra rigore quo poteritis aggravantes eaſdem; monaſterium ipſum interdicto eccleſiaſtico per nos ſuppoſitum locis & temporibus, quibus expedire videritis, in ſingulis eccleſiis veſtre dioceſeos, conſiſtoriis, etiam & capitulis, per archidiaconos ſeu officiales eorum celebrandis ubicumque, ac aliis locis puplicis & ſollemnibus faciatis coram cleri, & populi multitudine nuntiari.

tiari. Penſiones etiam ſique a quibuſcumque perſonis in veſtra dioceſi exiſtentibus monaſterio ſuo predicto, ſeu ipſis ipſius monaſterii nomine cenſus annui vel firme pretextu quomodo libet debeantur, portioneſque fructuum ſeu decimarum, quas in parrochiis alienis poſſe percipere ſe pretendunt, quocumque titulo vel colore, nec non fructus & obventiones quaſcumque eccleſiarum parochialium, ſique priori & conventui monaſterii ſupra dicti in uſus proprios fuerint aſſignate, faciatis ſub arto ſequeſtro & tuta cuſtodia conſervari; ne religioſi ipſi, ſeu alii ipſorum nomine ad eas aliquatenus manus apponant, donec tam abſolutionis beneficium, quam ſequeſtri hujuſmodi relaxationem per nos in forma juris meruerint optinere. Ad hec Alexandrum Theke, Johannem Gauge, Johannem Ters, Robertum de Baldenhale, Johannem Hollebrit, Galfridum de la Berwe, Milonem de Malvern presbyterum, Johannem le Bedel, Hugonem Cocum, Willelmum Pride, Ricardum Garſaunt, Robertum filium presbyteri de Baldenhale, Johannem fratrem ſuum, Johannem Doules, Rogerum Clericum, Robertum de la Bruwere, Johannem le Moner, Walterum de la Pole, Willelmum & Stephanum filios ipſius Walteri, Ricardum Gaugy, Johannem Polle de Baldenhale, Walterum le Brut, Johannem de Chaddeſleg Glouc.

Q Henri-

Henricum de Loke, ballivum de Wiſton, Willelmum de Penbroke de Stanleg Regis, Johannem de Colethrop, Johannem de Ledebury ballivum manerii de Langneya, Alexandrum de Elemor, Adam de Ledebury, Johannem de Erlyngham cartarium, Rogerum Aylmond, & Willelmum Capellanum beate Virginis de Langneya. Quos tam ex communionis quam contumacie ſue vitio excommunicationis ſententia eſſe conſtat notorie involutos, ſic excommunicatos nominatim in ſingulis eccleſiis exiſtentibus ſub veſtro diſtrictu per ſingulos dies dominicos & feſtivos faciatis puplice inter miſſarum ſollempnia nuntiari, ipſos nichilominus citari peremptorie facientes, quod proximo die juridico poſt feſtum beate Margarete virginis ubicumque tunc fuerimus in noſtra provincia compareant coram nobis ſuper hiis & aliis objiciendis eiſdem, reſponſuri, facturi, & recepturi ſuper premiſſis & ea tangentibus quod juſtitia ſuadebit. Ad quos quidem diem & locum religioſos prefatos ſimiliter peremptorie faciatis citari, quod compareant propoſituri & oſtenſuri preciſe quo jure penſiones & portiones hujuſmodi hactenus percepiſſe, ac eccleſias ipſas poſſediſſe ſeu tenuiſſe noſcuntur vel in preſentiarum ſe poſſe percipere poſſidereve pretendunt eaſdem, & reſponſuri ſimiliter quare hujuſmodi eccleſias parochiales, quas in

uſus

uſus proprios ſe aſſerunt optinere, non debeamus pronuntiare ſeu detinere de jure vacantes, eiſque ex officii debito de perſonis ydoneis providere. Qualiter autem mandatum preſens quoad omnia & ſingula que continentur in eo, & quas penſiones, portiones & eccleſias ſibi qualitercumque debitas ſeu aſſignatas pretendunt, diſtincte & aperte ſub expreſſione locorum, nos dictis die & loco veſtris patentibus literis harum tenorem habentibus reddatis apertius certiores. Dat. apud Bell. xv. kalend. Julii, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio, ordinationis noſtre quinto.

Archiepiſcopus contra Malverne[c].

FRater Johannes permiſſione divina Cantuarienſis eccleſie miniſter humilis, totius Anglie primas, venerabilibus fratribus & coepiſcopis Cantuarienſis provincie ſuffraganeis, ac eorum officialibus, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Licet dudum fratrem Willelmum de Ledebury gerentem ſe pro priore majoris Malvern, Wygornienſis dioceſeos, ſuppriorem, *&c.* ut ſupra. Quocirca nos eorum ſtatum dampnabilem tam vobis quam aliis bono zelo volentes fieri magis notum, ut artius evitentur ab omnibus, & pre rubore ſaltem maturius

[c] Folio 184. b.

redeant ad viam ſalutis, cujus ex toto immemores hactenus exſtitiſſe veriſimiliter preſumuntur: vobis omnibus & ſingulis committimus & in virtute obedientie tenore preſentium diſtrictius injungendo mandamus, quatinus fratrem Willelmum qui pro priore monaſterii memorati ſe gerit, ſuppriorem, precentorem, ſacriſtam, celerarium & camerarium ſupradictos, in ſingulis eccleſiis cathedralibus, conventualibus, ſeu collegiatis, parochialibus ac aliis locis ſollempnibus, coram cleri & populi multitudine faciatis, pulſatis campanis, candelis accenſis, excommunicatos puplice & ſollempniter nuntiari, a denuntiationibus hujuſmodi minime deſiſtentes, quouſque de abſolutionis beneficio per nos impenſo eiſdem in forma juris vobis omnibus & veſtrorum cuilibet conſtiterit evidenter. Veſtris ſubditis ſimiliter inhibentes ſub pena excommunicationis majoris, quam ex nunc in contravenientes in hiis ſcriptis proferimus, ne quis cum religioſis predictis ſeu eorum aliquo emendo, vendendo, comedendo, bibendo, ſeu alias, ut premittitur, eis vel eorum alicui participando, communicare preſumat, quouſque per nos in forma juris abſolutionis beneficium meruerint optinere. Ad hec ſi religioſi predicti in veſtris dioceſibus, ſeu earum aliqua, penſiones ſeu portiones fructuum, vel decimarum eis debitas aſſerant a quibuſcumque ſub

veſtro

veſtro ſeu veſtrorum alicujus diſtrictu exiſtentibus, ſeu in parochiis alienis poſſe percipere ſe pretendant, ſeu etiam ecclesias parochiales poſſideant vel teneant, eis in uſus proprios aſſignatas, penſiones, portiones, ac fructus eccleſiarum hujuſmodi parochialium, ſub arto ſequeſtro & tuta cuſtodia faciatis ſervari, quouſque ſuper relaxatione ſequeſtri hujus, mandatum a nobis receperitis ſpeciale; ipſos religioſos peremptorie nichilominus facientes citari, quod proximo die juridico poſt feſtum beate Margarete virginis ubicumque tunc fuerimus in noſtra provincia, compareant coram nobis, jus ſi quod habeant ſpeciale quoad premiſſas penſiones, portiones, & eccleſias, exhibituri preciſe & reſponſuri ſimiliter, quare hujus eccleſias parochiales, quas in uſus proprios ſe aſſerunt optinere, non debeamus pronuntiare ſeu detinere de jure vacantes, eiſque ex officii noſtri debito de perſonis ydoneis providere. Quilibet autem veſtrorum ei mandato preſenti exhibito & inde ſub ſigillo proprio retenta copia, premiſſa omnia & ſingula celerius exequatur, & de executione facta certificet nos ad plenum. Et quas penſiones, portiones, & eccleſias religioſi prefati ſibi qualitercumque debitas ſeu aſſignatas pretendunt, diſtincte & aperte ſub expreſſione locorum dictis die & loco per ſuas patentes literas harum tenorem habentes nobis exprimendo reſcribat. Valete. Dat.

apud

apud Bell. xv. kalend. Julii, anno ſupradicto.

Litera regia contra captionem concepta.

EDwardus, *&c.* vicecomiti Wygornienſi ſalutem. Cum nuper mandaverimus dilectis & fidelibus noſtris juſtitiariis noſtris de Banco, & baronibus noſtris de ſcaccario, quod deliberato inter eos ſuper contentionibus & diſcordiis inter Godfridum Wygornienſem epiſcopum & abbatem Weſtmonaſterienſem ſubortis: nos ſuper hiis que per regiam majeſtatem, & que per forum eccleſiaſticum corrigi poſſent, ſine dilatione redderent certiores; ita quod nichil interim in prejudicium dicti abbatis vel ſuorum aliquatenus attemptaretur, & noſtris clericis de precepto noſtro apud Ceſtriam commorantibus inhibuerimus, ne literam aliquam captionis ſuper perſonas religioſas prioratus majoris Malverne, qui eſt membrum abbathie Weſtmonaſterienſis, ſub ſigillo noſtro tranſire permittent, nobis inconſultis, pendente appellatione inter prefatum abbatem & priorem prioratus predicti, & predictum epiſcopum interjecta. Et jam tacita veritate, quoddam breve captionis ſuper prefatum priorem Malvern & commonachos ſuos ad denuntiationem predicti epiſcopi, ſub colore

[d] Folio 185. a.

extra-

extranearum perſonarum impetratum, tibi directum fuerit, & tum ipſum priorem & quoſdam commonachos ſuos ea occaſione ceperis, & in priſona noſtra Wygorn. detineas, ſicut ex querela prefati abbatis accepimus: nolentes priorem ſeu monachos ſuos predictos taliter indebite moleſtari, tibi precipimus firmiter injungentes, quod prefatos priorem & commonachos ſuos occaſione prefata captos & detentos ſine dilatione deliberes, & captioni eorundem & aliorum religioſorum prioratus predicti, omnino ſuperſedeas, pendente appellatione predicta. Teſte me ipſo apud Rothelon, xx. die Junii, anno regni noſtri undecimo.

Litera domino Regi directa[e].

EXcellentiſſimo principi domino Edwardo Dei gratia regi Anglie, domino Hibernie & duci Aquitanie, Godfridus permiſſione divina Wygornienſis eccleſie miniſter humilis, ſalutem in eo per quem feliciter reges regnant, & principes dominantur. Regi ſummo, rerum omnium conditori, ad cujus nutum cuncta diſponuntur & fiunt, laudes perſolvimus, veluti jam novo jocunditatis genere recreati; ex hoc quod contra Walenſes vobis & veſtris predeceſſoribus re-

[e] Folio 185. a.

gibus inimicos, glorioſiſſime optinctis triumphum, gentes ipſas & loca vobis & ſucceſſoribus veſtris perpetuis temporibus ſubjugando; nec non beatiſſimam Dei genetricem Mariam, ſanctoſque Oſwaldum & Wulſtanum, veſtre eccleſie Wygorn. predicte ſpeciales patronos eo ſumſimus ſpecialiter in veneratione majori, quo, eos ſuis precibus coram Deo, cujus gratia pro ſuis optatur ubique, vobis in premiſſis angoribus juvamine promptiori credimus divinitus profuiſſe. Et licet ſanctis ipſis, ac dicte eccleſie Wygornienſi nobiſque ipſius regimen & curam gerentibus, per quoſdam veſtros miniſtros injurie multiplices illate fuerint hiis diebus, eas tamen ob reverentiam regie majeſtatis huc uſque cum noſtri periculo ſuſtinuimus patienter; ne ex hiis querelis contingeret aliquatenus vos turbari, qui ob ſubditorum quietem noctes duxiſtis inſompnes, & pro pace regni proprio periculo minime peperciſtis; ad quas ſi libet noſtri & ipſius eccleſie nomine exponendas veſtre dominationi tranſmittimus dilectum clericum noſtrum magiſtrum Robertum de Wychio preſentium delatorem, cui dominatio veſtra quo ad hec fidem adhibere dignetur & ſuper gravaminibus remedium ſalutare. Valeat dominatio veſtra proſperis incrementis per tempora diuturna. Dat. apud Ichull iii. nonar. Julii, anno ut ſupra.

Litera

Litera deprecatoria directa Epiſcopo Londinenſi [f].

VEnerabili in Chriſto patri, domino . . Dei gratia Londinenſi epiſcopo, Godfridus permiſſione divina eccleſie Wygornienſis miniſter humilis, ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem, cum honoris augmento. Quod ad medelam pertinere dinoſcitur, eo exſtat diligentius exequendum, quo ex ipſius pertinacia pena gravis inducitur, & error ex tempore augetur ſub periculo graviori. De ſtatu ſiquidem fratris Willelmi de Ledebury, qui ſe gerit pro priore majoris Malverne; & quorundam ſuorum complicum, quorum nomina ſeries mandati reverendi patris domini . . . . . Cantuarienſis archiepiſcopi, totius Anglie primatis, vobis & aliis directi palam declarat; veſtre paternitati liquere poterit evidenter. Contra quos, ſecundum quod ipſius mandati tenor requirit, penes vos inde ſub ſigillo veſtro retenta copia quam vobis mittimus per preſentium delatorem, propter reverentiam eccleſie, quam ipſi dampnabiliter contempſerunt, & noſtri inſtantiam, celeritate ac ſollempnitate debitis executiones fieri undique per veſtram dioceſim jubere velitis; &

f Folio 183.a.

eo ſi libet inſtantius, quod dictum negotium nos & eccieſiam noſtram Wygornienſem contingit. Veſtra ſancta paternitas ſemper in Chriſto valeat & Virgine glorioſa. Dat. apud Ichull. x. Julii, anno quinto decimo.

Certificatio Epiſcopi Sarum ſuper executione facta contra Malverne [g].

REverendo in Chriſto patri Johanni divina providentia Cantuarienſi archiepiſcopo, totius Anglie primati, R. permiſſione ejuſdem Sarum eccleſie miniſter humilis, ſalutem & obedientiam tam debitam quam devotam, cum reverentia & honore. Mandatum veſtrum die Jovis in craſtino tranſlationis beati Thome Martyris apud Romesbury hora veſperarum recepimus ſub verbis infraſcriptis: Frater Johannes permiſſione divina Cantuarienſis eccleſie miniſter humilis, totius Anglie primas, venerabilibus fratribus & coepiſcopis Cantuarienſis provincie ſuffraganeis, ac eorum officialibus, ſalutem, *&c.* ut ſupra. Nos vero mandatis veſtris obtemperantes prout decet reverenter, decano noſtro Sarum quod in eccleſia noſtra Sarum & aliis locis ſibi ſubditis, & archidiaconis eccleſie noſtre om-

[g] Folio 186, b.

nibus, quod ſinguli per ſuos archidiaconatus mandatum hujus cum diligentia exequantur, mandavimus ſine mora. Ceterum religioſi ipſi quaſdam decimas de Dominicò domini de la Sterte in parochia de Archesſonte eſtimatione circiter quadraginta ſolidorum percipiunt, ſuper quarum titulo ante mandatum veſtrum receptum citati fuerunt coram nobis, & adhuc ſuper hoc pendet queſtio, eccleſiam vero aut penſiones, ſeu portiones alias preter decimas iſtas in noſtra dioceſi non optinent; quas ſtatim mandavimus ſequeſtrari, pro eo quod eis taliter excommunicatis ipſas contingere non licet. Semper in Domino valeatis. Dat. apud Romesburc iii. idus Julii, anno gratie milleſimo duceteſimo octogeſimo tertio.

Executio contra Malverne auctoritate Judicis delegati [h].

PRecentor eccleſie Wellenſis, una cum dominis de Certeſeya & de ſancta Frydeſwyda de Oxon prioribus, judex a ſede apoſtolica delegatus, & ipſius de Certeſeya prioris commiſſarius, ac . . . . decanus, & Robertus de Brandon canonicus eccleſie Wellenſis ſupradicte, & prefati de ſancta Frydeſwyda prioris commiſſarius; diſcretis

[h] Folio 187. b.

viris venerabilium patrum de Coventre & Lych. Lond. Hereford. & Wygorn. dominorum epiſcoporum officialibus, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum nos auctoritate ſumme ſedis predicte invenientes & cognoſcentes excommunicationis ſententiam, in fratres Willelmum de Ledebury, qui ſe gerit pro priore; & Ricardum ſuppriorem prioratus majoris Malverne, Wygornienſis dioceſeos, per venerabilem patrem dominum . . . epiſcopum Wygornienſem, ob eorum & conventus loci ejuſdem manifeſtam offenſam rationabiliter fuiſſe prolatam: ideo juris ordine in omnibus obſervato, munimine apoſtolico eandem roboravimus, ſecundum tenorem mandati ſedis ipſius nobis . . . . precentori & prioribus ſupradictis directi principaliter: decernentes ſententiam memoratam uſque ad ſatisfactionem condignam fore inviolabiliter & firmiter obſervandam. Vobis omnibus & unicuique veſtrorum diviſim, auctoritate pretacta, quam inſpiciendam vobis mittimus & abſque mora & difficultate aliqua nobis remittendam, ſub pena diſtrictionis canonice, precipimus & mandamus, quatinus fratres Willelmum & Ricardum predictos, ſic excommunicatos in ſingulis dioceſibus memoratis, in proceſſionibus, conſiſtoriis, & capitulis, in eccleſiis majoribus & minoribus, exemptis & non exemptis, ſingulis diebus Dominicis

minicis & feſtivis, & in plebis ac fidelium pleniori & majori multitudine, extinctis candelis, & pulſatis campanis, ſollempniter faciatis & pupblice nuntiari; auctoritate premiſſa inhibentes catholicis univerſis, & eos legitime moneatis, ne quis cum excommunicatis predictis, aut illorum altero, facto, verbo, aut modo aliquo, niſi in caſu juris, communicare preſumat, donec Deo reconciliati & eccleſie, abſolutionis beneficium obtinuerint in forma juris, & hoc vobis per noſtras literas conſtiterit evidenter. Contradictores & rebelles, qui veſtris monitionibus non paruerint in hac parte, & quos in hiis ſcriptis excommunicamus, excommunicatos ſollempniter faciatis & pupblice nuntiari. Et de ipſorum nominibus, & qualiter ſinguli veſtrorum in dictis dioceſibus ſingulis, noſtrum mandatum fueritis executi, diſtincte in omnibus & aperte nos certificare curetis, per veſtras patentes literas, harum ſeriem continentes, cum per exhibitorem preſentium fueritis requiſiti. Dat. Well. x. kalend. Auguſti, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio.

Modus

Modus ſubtrahendi decimas excommunicatis Malverne[i].

GOdfridus miſeratione divina, *&c.* dilecto filio domino Waltero de Bello Campo, militi, ſalutem, gratiam & benedictionem. Cum eis proventus eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, quibus eccleſie communio denegatur, ac frater Willelmus de Ledebury, qui ſe gerit pro priore & nonnulli alii conventus majoris Malverne, ob ſuas offenſas deteſtabiles, una cum communicantibus facto, verbo, aut modo aliquo cum eiſdem, a catholicorum & Chriſti fidelium communione, auctoritate ſummi pontificis, domini archiepiſcopi Cantuarienſis & noſtra, ſententialiter ſint excluſi; vobis tenore preſentium inhibemus, hortantes in Domino, ne ipſis aut aliis ſuo nomine venientibus, majores aut minores decimas aliquas perſolvatis; ſcituri quod majoris excommunicationis ſententiam ipſo facto multipliciter & dampnabiliter poſſetis incurrere huic noſtre inhibitioni quicquam contrarium faciendo, propter quam in hac parte vos ſic habere curetis, ut de veſtra filiali devotione matrix eccleſia glorietur. Dat. v. idus Auguſti.

[i] Folio. 187. b.

Abſolutio

Abſolutio Willelmi de Penbroke [k].

GOdfridus dilectis filiis de Glouceſtre & de Stonhus . . . . decanis, ſalutem, *&c.* Quia Willelmum de Penbroke a ſententia excommunicationis majoris, quam incurrit pro eo quod contra inhibitiones noſtras cum excommunicatis majoris Malvern communicavit illicite, in forma juris abſolvimus; vobis mandamus quatinus eundem ſic abſolutum faciatis puplice nuntiari, dummodo unam diſciplinam in eccleſia ſancti Nicholai de Glouceſtre aliquo die ſollempni ſuſcipiat humiliter & devote; ipſum vero a ſententia excommunicationis, quam incurrit pro eo quod contra inhibitiones domini archiepiſcopi Cantuarienſis communicavit illicite cum excommunicatis predictis, non abſolvimus, ſicut nec potuimus, nec intendimus vobis per hoc precipere, quod ipſum abſolutum ab excommunicatione prefata aliquatenus nuntietis, donec ſuper hoc ejuſdem domini archiepiſcopi gratiam ſimilem mereatur, & hoc per ſuas literas innoteſcat. Dat. apud Hembury in Salſo Mariſco, v. idus Auguſti, anno quinto decimo.

k Folio 188. a.

Litera Regis, ut excommunicati de Malverne licite emant victualia[1].

EDwardus, *&c.* vicecomiti Glouceſtrenſi, ſalutem. Querelam dilectorum nobis in Chriſto prioris & conventus majoris Malverne recepimus, continentem quod cum eccleſia majoris Malvern ſit cella libere capelle noſtre ſancti Petri Weſtmonaſterienſis, & ab omni juriſdictione ordinaria exempta, ac ipſi pro eo quod venerabiles patres Johannes Cantuarienſis archiepiſcopus & Godfridus Wygornienſis epiſcopus, quedam que ad juriſdictionem ordinariam ſpectabant, exercuiſſe pretendebant, ab eiſdem archiepiſcopo & epiſcopo ad ſedem apoſtolicam appellarunt; iidem archiepiſcopus & epiſcopus nullo habito reſpectu ad liberarum capellarum noſtrarum libertatem, in perſonas predicte domus majoris Malvern excommunicationis ſententias fulminarunt, & hujuſmodi ſententias in ipſos & ſecum communicantes, ſervientes ſuos, & ab eis aliquid ementes, vel eis aliqua vite neceſſaria vendentes, mandaverunt puplice fulminari, in noſtri & capelle noſtre predicte & predictorum prioris & conventus prejudicium non modicum & gravamen. Nos igitur perpen-

[1] Folio. 188. b.

dentes

dentes quod ſuper hujuſmodi ſententias ſeu denuntiationes alimenta corporum hominum regni noſtri, quos regere tenemur, ſubtraherentur, diſpendia manifeſta & innumerabilia de facili poſſent imminere, niſi manus ad hec apponeremus adjutrices; tibi precipimus quod in pleno comitatu tuo civitatibus, burgis, & aliis villis comitatus tui puplice proclamari facias, quod omnes cum prefatis, priore & conventu, hominibus & ſervientibus ſuis, in emptionibus rerum & venditionibus, & potiſſime victualium communicare non omittant, ſicut prius facere conſueverunt. Teſte meipſo apud Kaernervan, xiv. die Auguſti, anno regni noſtri undecimo.

Litera directa domino Regi pro Malverne[m].

EXcellentiſſimo domino ſumma veneratione precipue reverendo, domino Edwardo Dei gratia regi Anglie, domino Hibernie & duci Aquitanie, Godfridus permiſſione divina Wygornienſis eccleſie, ſub glorioſiſſime genetricis Dei Marie Virginis, & beatorum Oſwaldi & Wulſtani ejuſdem eccleſie patronorum protectione, miniſter; ſalutem, utriuſque hominis gratiam, etiam ac gloriam Spiritus in Chriſto, per quem

[m] Folio. 189. a.

reges regnant feliciter, & principes proſpere dominantur. Quanta mentis letitia, quantoque cordis affectu vos in ſtatu felici optamus videre, novit ille verus & infallibilis humanorum cordium cognitor & ſcrutator; ſed quia per quoſdam intelleximus referentes non eſſe vobis cordi, quod nos inſtanti tractatui ſuper actibus & meritis David Gmam quondam Leulini dicti principis Wallie apud Salop in feſto beati Michaelis venturo proximo, de precepto veſtre dominationis habendo perſonaliter interſimus, iccirco veſtre Majeſtatis clementie devotione piiſſima ſupplicamus, quatinus de die & loco certis, quibus ad veſtri preſentiam per negotium ipſius David per vos & veſtros impletum, accedere valeamus; pro veſtris audiendis & recipiendis preceptis ac implendis eiſdem, devotius ſicut decet, dignemini providere; ut tunc precipue veritas negotii quod nos & noſtram eccleſiam Wygornienſem ex parte una, ac abbatem Weſtmonaſterienſem & fratrem Willelmum de Ledebury, qui ſe gerit pro priore prioratus majoris Malverne, noſtre dioceſeos, contingit, ex altera; quoad ſtatum & conditiones partium vobis in veſtri preſentia valeat intimari. Ad quos diem & locum, ſi placet, velitis precipere abbatem Weſtmonaſterienſem & fratrem Willelmum predictos per veſtras literas evocari; & quod idem abbas fratrem Willelmum de

Wykewane

Wykewane dicti prioratus electum & quoſdam alios commonachos, quos apud Weſtm. ſine culpe vitio, licet non ſine prejudicio libertatis eccleſiaſtice detinet in vinculis ibidem, ſimiliter ad veſtri preſentiam faciat ſecum duci; & Altiſſimo concedente, tam noſtre eccleſie Wygornienſi, quam nobis juſta defenſio competere declarabitur, & jus conveniens quo factum noſtrum in hiis que egimus juſto fulcimine ſituatur, quamquam forſan per emulos contrarium ſuggeſtum fuerit veſtre regie dignitati. Dat. apud Alvech. v. kalend. Septembris, anno quinto decimo.

Certificatio officialis Wygornienſis ſuper executione facta contra Malverne, auctoritate Judicis delegati [n].

MAgnificis & diſcretis viris, precentori eccleſie Wellenſis, judici a domino papa, una cum dominis de Certeſeya & de ſancta Fretheſwida Oxon. prioribus, delegato, & dicti de Certeſeya prioris commiſſario, nec non decano eccleſie Wellenſis predicte, ac Roberto de Brandon canonico loci ejuſdem, & dicti prioris ſancte Fredeſwide commiſſariis, officialis Wygornienſis ſalutem & ſe totum cum reverentia & honore. Man-

n Folio. 189. b.

datum veſtrum recepimus in hec verba: Precentor eccleſie Wellenſis, *&c. ut ſupra.* Nos igitur hujus mandatum veſtrum quoad omnia & ſingula, que continentur in eo, fideliter executi, & requiſiti etiam ſecundum ipſius mandati veſtri tenorem de executione facta vos reddere certiores; in teſtimonium executionis premiſſe, reverenter ut premittitur per nos facte in dioceſi Wygornienſi predicta, noſtras veſtre diſcretioni tranſmittimus literas has patentes. Ad hec vobis tenore preſentium notorie innoteſcat, quod iidem fratres Willelmus, & Ricardus ſupprior prioratus predicti, poſt dicte excommunicationis ſententiam in eos rationabiliter promulgatam, ac denuntiationem ſollempnem ad veſtrum mandatum predictum per nos puplice inde factam, tanquam ſue ſalutis immemores ſe illicite immiſcuere divinis, & indiſtincte immiſcent; in veſtre juriſdictionis quin potius ſancte ſedis apoſtolice manifeſtum contemptum, periculum vel ſcandalum undicumque proveniens minime formidantes. Dat. apud Rippel. ii. non. Septembris, anno Domini ſupradicto.

Interdictum

Interdictum Judicum delegatorum contra Malverne [o].

PRecentor eccleſie Wellenſis, *&c.* diſcreto viro . . . officiali Wygornienſi, ſalutem in eo qui eſt fidelium omnium vera ſalus. Veſtras literas certificatorias recepimus in hec verba: Magnificis & diſcretis viris, *ut ſupra.* De ſtatu ſiquidem dictorum fratrum Willelmi & Ricardi, qui eternaliter ſe dampnare feſtinant, dolentes effectualiter ac credentes inſpirante Domino eos ab erroribus ad ſalutis viam, ſaltem per aggravationis modum celerius revocare: monaſterium ipſum majoris Malverne ob eorundem fratrum exceſſus notorios, ſuadente juſtitia, auctoritate ſedis apoſtolice eccleſiaſtico ſuppoſuimus interdicto. Quocirca vobis iterato firmiter injungentes mandamus, quatinus ab executione noſtri mandati prioris, ſecundum ſui ſeriem faciendam minime deſiſtentes, monaſterium predictum majoris Malverne inter cetera ſic eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitum, locis & temporibus in ipſo noſtro mandato priori declaratis expreſſius, faciatis puplice & ſollempniter nuntiari; nos, cum per dictum dominum . . . . Wygornienſem epiſcopum vel alium ſuo nomine fueritis requi-

[o] Folio 190. a.

ſiti

ſiti, reddentes inde veſtris patentibus literis harum tenorem habentibus certiores. Dat. Well. v. idus Septembris, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio.

Ratificatio Prioris & Conventus Malverne, ſuper compoſitione predicta [p].

PEr preſentes pateat univerſis, quod nos frater Willelmus de Ledebury, prior majoris Malverne, & ejuſdem loci conventus, ratificamus & ratam habemus pacem factam per dominum Edwardum Dei gratia regem Anglie, inter venerabilem patrem dominum Godfridum eadem gratia epiſcopum Wygornienſem & ſuum capitulum ex parte una; atque R. ejuſdem permiſſione abbatem Weſtmonaſterienſem & ſuum conventum & nos ex altera: eam complere & confirmare volentes, atque futuris temporibus firmiter obſervare volumus, etiam quod ſi contravenerimus, quod abſit, quod dominus rex nos ad ipſius obſervantiam, per quoſlibet ſuos miniſtros compellere valeat, ſub foriſfactura qualibet, quam nobis duxerit infligendam. In cujus rei teſtimonium preſentibus literis, capituli noſtri fecimus apponi ſigillum. Dat.

[p] Folio 195. a.

apud

apud magnam Malvern in capitulo noſtro die ſancti Luce Evangeliſte, anno regni regis Edwardi undecimo finiente.

Inductio Epiſcopi Wygornienſis in manerium de Knythwyke per Regem[q].

EDwardus, *&c.* dilecto & fideli ſuo, Willelmo le Poer, ſalutem. Quia prior & conventus majoris Malverne in curia noſtra recognoverunt manerium ſuum de Knythwyke cum pertinentiis ſuis, venerabili patri Godfrido Wygornienſi epiſcopo, & ſucceſſoribus ſuis habendum in perpetuum, prout in carta ſua plenius continetur; vobis mandamus quatinus in propria perſona veſtra accedatis ad manerium predictum, & prefato epiſcopo ſeu certo attornato ſuo ipſius nomine plenam ſeſſinam inde habere faciatis, ſecundum formam carte predicte. Teſte meipſo apud Acton Burnel xx. die octobris, anno regni noſtri undecimo.

[q] Folio 195. b.

Exemptio

Exemptio majoris Malverne per Epiſcopum Wygornienſem [r].

UNiverſis Chriſti fidelibus ad quos litere preſentes pervenerint, Godefridus permiſſione divina miniſter eccleſie Wygornienſis, ſalutem in Domino. Literas apoſtolicas non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, inſpeximus, continentes, quod abbas & conventus Weſtmonaſterienſis, Londinenſis dioceſeos, cum omnibus cellis ſuis & prioratibus, & precipue cum prioratu majoris Malvern, & monachis earundem cellarum & prioratuum ad Romanam eccleſiam nullo pertinent mediante, & ab omni lege dioceſana ac juriſdictione ordinaria ſunt exempti. Nos itaque pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, predictum exemptionem in ipſo prioratu majoris Malvern, noſtre dioceſeos, veraciter agnoſcentes, predictum prioratum & monachos loci ejuſdem ab omni juriſdictione epiſcopali ac ordinaria exemptos & liberos profitemur, nec non ſolis abbati & conventui Weſtmonaſterienſi, qui pro tempore fuerit, ſubeſſe debere, ſecundum quod in privilegiis diverſorum retro Romanorum pontificum conceſſis eiſdem plenius continetur. Ad hec

r Folio 194. b.

cum

cum inter prefatos abbatem & conventum Weſtmonaſterienſem, ac priorem & monachos prioratus majoris Malvern ſupradicte ex parte una, & nos ex altera; ſuper jure patronatus dicti prioratus, nec non ſuper poſſeſſione vel quieta juris viſitandi dictum prioratum & monachos ejuſdem, ac corrigendi corrigenda, removendique removenda, ac procurationes ratione viſitationis ab eiſdem petendi, exigendi, & recipiendi, exorta eſſet materia queſtionis; nos pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, jus patronatus ſive advocationem in ipſo prioratu ac monachis ejuſdem, ad eoſdem abbatem & conventum Weſtmonaſterienſem pleno jure recognoſcimus pertinere: omne jus & clamium que habemus vel habere potuerimus in futurum, ſeu poſſeſſionem vel quietam legis dioceſane ſeu ordinarie juriſdictionis nobis ſeu predeceſſoribus noſtris quandocunque ſeu qualitercunque adquiſitam, ſponte, pure, & abſolute remittimus, & eiſdem abbati & coventui Weſtmonaſterienſi pro nobis & ſucceſſoribus noſtris concedimus per preſentes; nec priores prioratus ejuſdem, qui pro tempore fuerint, aut monachi ad obedientiam preſtandam nobis ſeu ſucceſſoribus noſtris, pro prioratu ipſo aut pertinentibus ad eundem aliquatenus teneantur; exceptis duntaxat eccleſiis parochialibus, portionibus & penſionibus eccleſiaſticis ad dictum prioratum pertinentibus,

T quas

quas in proprios uſus optinent, in quibus quidem eccleſiis, portionibus, & penſionibus eccleſiaſticis canonicam juriſdictionem nobis & ſucceſſoribus noſtris reſervamus; ita tamen quod procurationes aliquas ab eiſdem eccleſiis, portionibus, vel penſionibus, ſeu perſonis, ratione earundem exigere non poſſimus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Dat. Weſtm. die Veneris in vigilia ſancti Leonardi abbatis, anno gratie milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio.

Carta de Knythwyke [f].

UNiverſis Chriſti fidelibus, ad quos preſens ſcriptum pervenerit, frater Willelmus prior majoris Malverne, & ejuſdem loci conventus, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra nos dediſſe, conceſſiſſe, & hac preſenti carta noſtra confirmaſſe; venerabili patri domino Godfrido Dei gratia epiſcopo Wygornienſi manerium noſtrum de Knythwyke in comitatu Wygorn. cum omnibus pertinentiis & libertatibus & conſuetudinibus ſuis ad manerium illud pertinentibus. Habendum & tenendum eidem epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis, de nobis & ſucceſſoribus noſtris, reddendo inde per annum nobis & ſucceſſoribus noſtris unam libram cumini ad feſtum beati Michaelis pro omni

[f] Folio. 195. b.

ſervitio,

ſervitio, ſecta curie, exactione, & qualibet demanda ſeculari; & nos & ſucceſſores noſtri predictum manerium cum omnibus pertinentiis ſuis, prefato epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis contra omnes gentes warantizabimus, acquietabimus, & in perpetuum defendemus per ſervitium antedictum. In cujus rei teſtimonium preſenti carte ſigillum capituli noſtri fecimus apponi. Hiis teſtibus, venerabilibus patribus R. Bathon. & Wellen. & W. Norwycen. epiſcopis; dominis Hugone de Turbevil, Willelmo de Salſomariſco, Wiellmo le Poer, Nicholao de Sutton, Paulino de Kerdiff, Willelmo de Bracy, Johanne de Thorndon, Petro de Salſomariſſco, Roberto de Bracy, & aliis. Dat. apud Weſtmonaſterium die Sabbati proxima poſt feſtum Omnium Sanctorum, anno regni regis Edwardi filii regis Henrici undecimo.

Inductio Epiſcopi per Priorem & Conventum [t].

UNiverſis Chriſti fidelibus, ad quos litere preſentes pervenerint, prior & conventus majoris Malverne, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quod nos de communi conſenſu abbatis & conventus Weſtmonaſterienſis damus poteſtatem Roberto de Bracy, Willelmo le Poer ſub al-

[t] Folio 195. b.

ternatione ponendi in ſeiſinam venerabilem patrem Godfridum Wygornienſem epiſcopum de manerio de Knythwyke cum pertinentiis in comitatu Wygorn. Habendum ſibi & heredibus ſuis in perpetuum, juxta formam feoffamenti inde confecti, & ſecundum quod in curia domini regis de conſilio ejuſdem plenius exiſtit ordinatum. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes. Dat. apud Weſtm. die Sabbati proxima poſt feſtum Omnium Sanctorum, anno regni regis Edwardi filii regis Henrici undecimo.

Relaxatio ſententie late in Malverne per Epiſcopum Wygornienſem[u].

UNiverſis ad quorum notitiam preſentes litere pervenerint, Godfridus permiſſione divina eccleſie Wygornienſis miniſter, ſalutem in Domino. Noveritis nos ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, quas in fratrem Willelmum de Ledebury, priorem majoris Malvern, ac ceteros monachos ejuſdem, nec non ſervientes eorum ac in communicantes eiſdem, ſeu in loca eorum, quantum in nobis fuit, promulgavimus ſeu per noſtros quoquo modo fecimus promulgari; & omnia ſequeſtra a nobis

[u] Folio 195. a.

vel

vel noſtro nomine eis facta: pure, ſponte, & abſolute relaxaſſe & abſolviſſe eoſdem. Quare univerſitatem veſtram rogamus, quatinus predictos Willelmum, monachos, ſervientes, ac communicantes eiſdem, occaſione alicujus ſententie ſupradicte, a nobis vel aliis late noſtro nomine in eoſdem, tanquam excommunicatos, ſuſpenſos, vel interdictos de cetero non vitetis, ſed eiſdem tanquam ſancte matris eccleſie filiis communicetis puplice & privatim, non obſtante aliqua noſtra ſententia ſupradicta. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus eiſdem patentes. Dat. apud Weſtm. die Dominica proxima poſt feſtum Omnium Sanctorum, anno gratie milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio.

Eadem in ſpecie [x].

GOdfridus permiſſione divina epiſcopus Wygornienſis dilectis in Chriſto filiis, archidiaconis Wygorn. & Glouc. vel eorum officialibus ſeu decanis, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Quia nos omnes ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti a nobis vel ab aliis auctoritate noſtra, vice, vel mandato, quantum in nobis fuit, latis in fratrem Willelmum de Ledebury, pri-

x Folio 195. a.

orem

orem majoris Malverne, ac ceteros monachos ejuſdem, nec non ſervientes eorundem ac communicantes eiſdem; & etiam omnia ſequeſtra a nobis ſeu noſtro nomine facta eiſdem ubicunque, pure, ſponte, & abſolute relaxavimus, & eoſdem abſolvimus: vobis mandamus, quatinus omnes predictos a prefatis ſententiis abſolutos a nobis, & etiam omnia predicta ſequeſtra eſſe relaxata, in eccleſiis & mercatis denuntiari puplice faciatis; moneatis inſuper omnes illos puplice, qui aliqua bona, jura, penſiones, vel redditus ad prioratum majoris Malverne pertinentia, rapuerint, contractaverint, & ſubtraxerint quoquomodo injuſte; ut ea reſtituant ſine mora, comminantes eiſdem, quod niſi celerius premiſſa reſtituant, contra eos in ſubſequentibus graviter procedemus. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras tranſmittimus vobis patentes. Dat. apud Weſtmonaſterium die Dominica proxima poſt feſtum Omnium Sanctorum, anno ſupradicto.

Inſpeximus Regis [y].

EDwardus Dei gratia rex Anglie, dominus Hibernie, & dux Aquitanie, omnibus ad quos preſentes litere pervenerint,

[y] Folio 195. b.

ſalutem

ſalutem. Inſpeximus cartam quam frater Willelmus, prior majoris Malverne, & ejuſdem loci conventus fecerint venerabili patri Godefrido Dei gratia Wygorn. epiſcopo in hec verba: Univerſis Chriſti fidelibus, *&c.* Nos autem donationem & conceſſionem predictas ratas habentes & gratas, eas pro nobis & heredibus noſtris, quantum in nobis eſt, concedimus & confirmamus, ſicut carta predicta rationabiliter teſtatur. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud Acton Burnel, vii. die Novembris, anno regni noſtri undecimo.

Inrotulatio de Knythwyke[z].

AD perpetuam rei memoriam, frater Willelmus de Ledebury, prior prioratus majoris Malvern, habens ad ſubſcripta plenam poteſtatem coram venerabilibus patribus dominis R. Dei gratia Bathon. & Wellen. tunc domini Edwardi illuſtris regis Anglie cancellario, W. Norwycen. epiſcopis; & dominis J. de Kyrkeby, R. de Hengham, J. Lovetot, Nicholao de Stapelton, Willelmo de Brompton, S. de Roff. Waltero de Wymburn, & aliis tunc de conſilio domini regis exiſtentibus ibidem, pro ſe &

z Folio 194. a.

conventu

conventu ſuo predicti prioratus recognovit, voluit, & puplice fatebatur, quod ipſi prior & conventus acquietabunt & defendent in perpetuum Godefridum Dei gratia Wygornienſem epiſcopum & ſucceſſores ſuos contra nobilem virum, dominum W. de Bello campo, com. Warr. & vicecomitem Wygorn. & heredes & ſucceſſores ſuos, & contra omnes gentes, de omni ſervitio, exactione, ſecta curie, & ſeculari demanda quacunque debita & conſucta pro manerio de Knythwyke in com. Wygorn. quod dicti prior & conventus cum conſenſu & voluntate abbatis & conventus Weſtmon. dederunt & conceſſerunt predicto epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis ſecundum formam feoffamenti ſuper hoc confecti; quodque dictus comes poſſit & debeat diſtringere & cohercere dictos priorem & conventum per omnimodam diſtrictionem juri conſonam in manerio dictorum prioris & conventus de Northwode in com. Salop. ſi ad diſtrictionem ſufficiat pro omni ſervitio quod comiti predicto debetur pro manerio de Knythwyke predicto: alioquin, quod alibi in terris & tenementis eorundem prioris & conventus ubicumque exiſtentibus diſtringere valeat, uſque ad valorem & eſtimationem prefati manerii de Knythewyke ſeu ſervitii debiti pro eodem; ita quod dictus epiſcopus & ſucceſſores ſui, ab omni ſervitio & onere ſint immunes & liberi,

liberi, quantum ad com. memoratum. Ad hec . . . . abbas Weſtmonaſterienſis recognovit & bona fide promiſit in preſentia preſcriptorum, quod cum novus prior fuerit creatus in prioratu predicto, quod idem prior cum ſuo conventu innovabit, ratificabit, & confirmabit omnia ſupradicta & cetera inſtrumenta confecta inter predictos, epiſcopum & priorem. Que omnia promiſit debere fieri & expediri citra feſtum Nativitatis beati Johannis Baptiſte proximo venturum. Dat. & act. apud Weſtm. ſexto idus Novembris, anno regni regis Edwardi filii regis Henrici undecimo.

Litera regia pro ſeiſina de Knytbwyke[a].

EDwardus Dei gratia, *&c.* vicecomiti Wygorn. ſalutem. Cum nuper ad ſedandas contentiones & diſcordias inter venerabilem patrem Godfridum Wygornienſem epiſcopum & dilectum nobis in Chriſto abbatem & conventum Weſtm. & priorem & conventum majoris Malverne ſubortas, quedam pacis reformatio prelocuta fuit coram nobis in conſilio noſtro apud Acton Burnel exiſtentibus, ac poſtmodum ad perpetuam hujuſmodi pacis firmitatem, prefati prior & conventus majoris Malverne de aſſenſu pre-

[a] Folio 196. a.

dictorum, abbatis & conventus Weſtm. & noſtro; manerium ſuum de Knythwyke prefato epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis conceſſerint, quam quidem conceſſionem per noſtras literas patentes acceptavimus, ac tibi alias precepimus, quod prefatum epiſcopum in poſſeſſione predicti manerii poneres, & in eadem poſſeſſione manuteneres, protegeres & defenderes; ac quidam de comitatu tuo ipſum epiſcopum impediant, quominus poſſeſſione predicta gaudere poſſit, in noſtri contemptum manifeſtum; tibi precipimus quod in propria perſona tua accedas ad manerium predictum, & prefatum epiſcopum ſeiſiri facias de manerio predicto, & ipſum in ſeiſina illa manuteneas, protegas, & defendas. Et ſi forte aliquem tibi ſuper hoc reſiſtentem inveneris, tunc ipſum areſtari, & ſalvo cuſtodiri facias, donec aliud tibi ſuper hoc preceperimus; & taliter te habeas in hac parte, quod ad te tanquam ad mandati noſtri contemptorem graviter capere non debeamus. Teſte meipſo apud Hereford, xv. die Novembris, anno regni noſtri undecimo.

Litera

Litera Archiepiſcopi Cantuarienſis pro cauſa Malverne [b].

FRater Johannes permiſſione divina Cantuarienſis ecclefie miniſter humilis, totius Anglie primas, venerabili fratri domino Godfrido Dei gratia Wygornienſi epiſcopo, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Licet pacis & concordie federa, amputato jurgiorum diſcidio & litium amfractibus circumſcriptis, prompto favore & jugis mentis noſtre ſtudiis proſequi affectemus; tamen ea divinitus abhorremus, que pro pace hominis tranſitoria, eam que ad Deum eſt, perimunt pacem veram. Sane per ora loquentium immo potius obloquentium fide dignis relatibus divulgato rumore vix credibili, didiſcimus admirantes, quod vos juriſdictionem que vobis in priorem & conventum monaſterii majoris Malvern a jure communi attribuitur exercenda, & ad nos & ad ſucceſſores noſtros Wygorn. ecclefie ſede vacante dinoſcitur pertinere, certis poſſeſſionibus temporalium rerum vobis hac occaſione conceſſis, tranſactionis ſeu compoſitionis interveniente remedio penitus remiſiſtis; quod non abſque juris injuria, noſtreque Cantuarienſis ecclefie libertatis eluſione; ac

[a] Folio. 194. a.

etiam proprie profeſſionis qua corporali preſtito juramento aſtringi dinoſcimini, eccleſie memorate contemptu potuiſtis aliquatenus attemptare. Quocirca fraternitatem veſtram puro deſiderio requirimus & rogamus, quatinus juxta ſibi datam a Deo prudentiam, exactiſſima diligentia vel exacta cogitet & decernat, quid in premiſſis liceat ſecundum equitatem, quid expediat ſecundum utilitatem, & tertio, quid deceat ſecundum canonicam honeſtatem; ne prefata compoſitio, nobis & eccleſia noſtra ſpretis, celebrata, & exorbitantis conſilii funiculo ut dicitur colligata, velut juri diſſona utpote ſimonyaca, & noſtri juris prima facie prejudicio vallata, in irritum valeat revocari; preſertim cum juxta civiles & canonicas ſanctiones, quod omnes tangit, ab omnibus merito debeat approbari. Quid autem circa premiſſa egeritis vel facere intendatis, nobis veſtris literis ſigilli veſtri munimine roboratis ſine fruſtratorio excuſationis diffugio ac prolixioris more diſpendio reſcribatis. Valete in Chriſto & Virgine glorioſa. Dat. apud Perſore, xvii. kalend. Decembris, anno ordinationis noſtre quinto.

Reſponſio

Reſponſio ad Archiepiſcopum ſuper negotio de Malverne[c].

REverendiſſimo domino ſuo ac patri, domino Johanni Dei gratia Cantuar. archiepiſcopo, totius Anglie primati, Godfridus permiſſione ejuſdem miniſter ecclesie Wygorniensis, ſalutem & reverentiam cum ſubjectione debita tanto patri. Paternitatis veſtre reverendiſſime ſuſceptis apicibus & inſpectis earundem tenore, concepimus quedam de nobis conſcientie noſtre diſſona non minus aliis quam vobis ſuggeſta fuiſſe pariter & notata. Super quibus per aliquem de noſtris, veſtrum animum & opinionem ſerenare curabimus tempeſtivius, quo valebimus dante Deo; ita quod ne ſymoniace pravitatis macula nobis aliqualiter impingi poterit in hac parte, ſeu quod in cujuſquam prejudicium per nos quicquam fuerit attemptatum. Valeat veſtra reverenda paternitas, ecclesie ſue ſancte tempora diutina. Dat. apud Alvech. *&c.*

[c] Folio 203. a.

Bulla

Bulla pro obſervatione compoſitionis ſupradicte[d].

HOnorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis . . . . . de Waltham Londonenſis, & . . . . de Abyndon Sarum dioceſeos, monaſteriorum abbatibus, ac . . . precentori ecclefie Wellenſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis abbas & conventus Weſtmonaſterienſis Lond. ad Rom. cur. eccleſiam nullo medio pertinentis ordinis ſancti Benedicti petitione monſtrarunt, quod orta inter ipſos ex parte una, & venerabilem fratrem noſtrum Wygorn. epiſcopum ex altera, ſuper jure viſitationis quod idem epiſcopus in prioratu majoris Malvern, Wygornienſis dioc. qui ejuſdem monaſterii membrum exiſtit lege dioceſana ſe dicebat habere, nec non & quibuſdam aliis articulis materia queſtionis. Tandem mediantibus bonis viris, amicabilis inter partes compoſitio intervenit, capituli Wygornienſis ad id accedente conſenſu; ſed dictus epiſcopus compoſitionem ipſam quam prius acceptaverat, obſervare indebite contradicit. Quocirca diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ſi eſt ita, predictum epiſcopum ad obſervationem

[d] Folio 245. a.

com-

compoſitionis hujuſmodi, ſicut eſt juſta & ab utraque parte ſponte recepta, & in alicujus prejudicium non redundat, monitione premiſſa auctoritate noſtra previa ratione cogatis. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrorum ea nichilominus exequantur. Dat. Tibure idus Julii, pontificatus noſtri anno primo.

Tractatus domini . . . . Wygornienſis epiſcopi, habitus in ſuo conſilio apud Hertlebury die beati Stephani, anno pontificatus ejuſdem xxxii [d].

Inter alia, Item ad petitionem prioris majoris Malverne, pro rehabendo manerio de Knythwyke, Reſpond. quod non eſt concedenda ſine voluntate domini regis, & hoc vergeretur in periculum & dampnum eccleſie Wygornienſis.

Venatio Chacie Malverne preſtanda annuo . . . . Epiſcopo Wygornienſi [e].

UNiverſis Chriſti fidelibus ad quorum notitiam pervenerit hec ſcriptura, Godefridus Dei gratia Wygorn. epiſcopus, Gilebertus de Clara comes Glouc. & Hereford; ac Johanna comitiſſa ejuſdem comitis uxor, ſalutem in omnium Salvatore. Noverit univerſitas veſtra quod cum contentio

[d] Folio 448. [e] Folio. 310. b. 311. a.

mota

mota fuiſſet inter nos Godefridum epiſcopum Wygornienſem ex parte una, & predictos dominum Gilbertum de Clara comitem Glouc. & Hereford, ac Johannam comitiſſam uxorem ejuſdem, ex altera; videlicet de uno foſſato levato per nos comitem & Johannam in ſummitate montis Malverne, ſuper terram dicti epiſcopi, ad nocumentum & dampnum ejuſdem epiſcopi. Tandem amicis communibus ſuper hoc convenientibus, & inde tractantibus, & precipue domino Roberto Burnel Bathon. & Wellen. epiſcopo tunc preſente, contentio predicta inter nos taliter eſt ſopita; videlicet quod nos Gilbertus & Johanna damus & concedimus & preſenti ſcripto confirmamus pro nobis, heredibus, & aſſignatis noſtris quibuſcunque predicto Godefrido Wygorn. epiſcopo & omnibus ſuis ſucceſſoribus, epiſcopis Wygornienſibus, duos damos bonos tempore pinguedinis in vigilia Aſſumptionis beate Marie, & duas damas bonas tempore fermiſionis in vigilia Nativitatis Domini de chacia noſtra Malvern annuatim apud manerium ſuum de Kemſey ex liberatione noſtra & heredum vel aſſignatorum noſtrorum fideliter liberandos. Et ſi nos Gilbertus & Johanna, heredes vel aſſignati noſtri in ſolutione & liberatione predictorum damorum & damarum loco & terminis ſupradictis defecerimus, quod abſit; volumus & concedimus pro nobis, heredibus

&

& aſſignatis noſtris, & obligamus nos, heredes, & aſſignatos noſtros dare, ſolvere, & liberare loco predicto prefato epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis alios duos damos, & alias duas damas infra octabas cujuſlibet termini predicti non obſervati, & ſic redditum predictum predictorum duorum damorum & duarum damarum duplicabimus infra octabas cujuſlibet termini non obſervati, ut predictum eſt. Quod ſi non fecerimus, ſubmittimus nos diſtrictioni domini noſtri regis, vel alterius cujuſcumque ſui ballivi, quem prefatus epiſcopus ad hoc elegerit, qui nos per bona noſtra mobilia & immobilia diſtringant, donec predicto epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus de donatione & conceſſione noſtra ſuperius expreſſa plenarie fuerit ſatisfactum. Et hec omnia que ſuperius de predictis damis generis utriuſque conceſſimus prefato epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis, epiſcopis Wygornienſibus, damus & concedimus pro nobis, & heredibus, & aſſignatis noſtris . . . . priori & capitulo beate Marie Wygornienſis quotiens tempore terminorum predictorum ſedes epiſcopalis Wygorn. paſtore fuerit deſtituta; dum tamen predicti . . . . prior & capitulum, per attornatum ſuum predictos damos & damas ad portam caſtri noſtri de Hanleya querere faciant terminis ſuperius annotatis, per noſtrum conſtabularium ibidem eiſdem liberandos. Nos vero Godefridus prefatus epiſco-

pus de aſſenſu & voluntate prioris & capituli noſtri Wygornienſis pro nobis & ſucceſſoribus noſtris & ecclesie Wygorn. pro predictis donatione & conceſſione nobis & ſucceſſoribus noſtris, per ipſum comitem & comitiſſam factis, prefatum foſſatum perpetuo concedimus duraturum. Dedimus etiam & conceſſimus de aſſenſu & voluntate dictorum . . . prioris & capituli noſtri & ecclesie Wygornienſis pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, omnes terras & tenementa cum juribus & pertinentiis ſuis que extra foſſatum illud & eidem foſſato contigua verſus comitatum Hereford habuimus, prefatis comiti & comitiſſe, & heredibus & aſſignatis ſuis; & omnino de cetero quietum clamamus eiſdem, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, & priore & capitulo, ac ecclesia noſtra Wygornienſi in perpetuum. In cujus rei teſtimonium nos prefati Godefridus epiſcopus, prior, & capitulum Wygorn. nec non & comes ac comitiſſa Glouc. huic ſcripto in modum cyrographi confecto, & in tres partes diviſo, noſtra ſigilla ſingulariter appoſuimus. Et ad majorem ſecuritatem omnium premiſſorum ſigillum venerabilis patris domini Bathon. & Wellenſis epiſcopi, in cujus preſentia hec ſunt acta & conceſſa, unicuique trium partium preſentis ſcripti apponi procuravimus. Dat. apud Theokesbury die ſabbati proxima ante

ante feſtum beati Dunſtani, anno regni regis Edwardi filii regis Henrici decimo nono.

Memorandum quod dominus Godefridus epiſcopus habebit de chacea predicta Malverne per manus conſtabularii de Henleg omni anno quamdiu vixerit, preter ſupradictos duos damos & duas damas, alios duos damos & duas damas apud Wygorn. in vigilia Aſſumptionis beate Marie & Nativitatis Domini, & ſuper hoc habet cartam dicti Gilberti comitis Glouc. & Johanne uxoris ſue [f].

De eadem preſtatione annua [g]

RAuf de Monthermer counte de Gloucestre e de Hereford, au conſtabulaire de Hanle foreſter de Malverne; ſaluz. Pur ceo que vous nous aves certifie par notre cher clerk ſire John de Bruge, que nous ſummes tenuz a notre cher piere en Dieus Sire Godefray par la grace de Dieus eveske de Wyrceſtre en oyt deymes de arrerage je ke a la fermeſon prochain avener totes choſes a conuzer par la compoſicioun entre notre ſeygneur le comte Gilbert, ke Dieus aſſoyle e la avaunt dit eveſque fete; vous maundons que les avaunt dit oyt deymes luy face avoyr a la fermeſon prochain avenir. E pur ceo que nous

[f] Folio 311. a. [g] Folio 453. a.

 ſom-

ſommes tenu par la compoſicioun avaunt dite, a lavaunt dit eveſque cheſcun an en quatre deymes de greſe, e en quatre deymes de fermeſon, iſſi cum breu ſaves ernont harroms que lavaunt dite eveske ſuyt plus ennuye ne travaille pur purchacer notre lettre pur la choſe avauntdite, vous maundons que lavaunt dite eveſque faces avoir chacun an quatre deyms en tems de greſe precheyn ſuyvaunt, pur taunte que il ad bref de ceſte greſe par luy. E prics lettre patente ou taylle de aqu provoſt ou autre miniſtre de le dit eveske, que les beſtes reſcevera. E allowe vous ſerra ſur votre acounte, par la lettre patente ou la taylle e ceo brief, e ceo ne laſſes. Don. a Kardiff le ſecond jour de Auſt.

Memorandum quod debetur domino epiſcopo unus damus & duc dame de arreragio anno xxxii.

Ex libro albo ſeu magno Regiſtro Prioratus Wygorn.

Confirmatio appropriationis eccleſie de Poywyke Priori & Conventui magne Malvernye [h].

UNiverſe ſancte matris eccleſie filiis, ad quos preſens ſcriptum pervenerit, fra-

[h] Folio. 65. b. & Maydeſton, fol, 16. b.

ter

ter Johannes, prior eccleſie cathedralis Wygornienſis & ejuſdem loci capitulum, ſalutem in Domino ſempiternam. Scriptum venerabilis patris domini Walteri Dei gratia Wygornienſis epiſcopi inſpeximus continens hunc tenorem: Univerſis ſancte matris eccleſie filiis, ad quos pervenerit hec ſcriptura; Walterus permiſſione divina epiſcopus Wygornienſis, ſalutem in Domino ſempiternam. Sua nobis dilecti filii noſtri . . . . prior & conventus monaſterii magne Malverne petitione humiliter ſupplicarunt, quod quia eorum monaſterium primitus fundatum in poſſeſſionibus nunc habitis, nec non maneriis & eccleſiis ſubſcriptis; videlicet manerio de Canterbauhhan cum eccleſia parochiali loci ejuſdem Menevenſis dioceſeos, eccleſia parochiali de Laughmayn dicte dioceſeos, prebenda in eccleſia Menevenſi, manerio de Foleford Coventr. & Lich. dioceſeos, eccleſia parochiali de Pichetote Lincolnienſis dioceſeos, & manerio de Knytewyke Wygornienſis dioceſeos, que omnia & ſingula abſque eorum fraude, dolo, vel culpa, pre commotionibus guerrarum & devaſtatione rerum tam in Wallia quam in Anglia ab eiſdem imperpetuum ſunt deperdita & ablata, ad ſuſtentationem viginti ſex monachorum & triginta pauperum inibi continue degentium, nec non hoſpitalitatis incumbentis,

vix

vix ſuffecit; ac etiam ſucceſſu temporum prevalente impoſitione ſummorum pontificum, nec non extorſione principum ſecularium tanto oneri ſubjacet eris alieni, quod niſi remedio celeri ſuccurratur, numero monachorum diminuto, divinum obſequium, ſuſtentationem pauperum, & hoſpitalitatem ſubtrahere oportebit: eccleſiam de Poywyke ſui patronatus & noſtre dioceſeos rectore cedente vel decedente ad relevamen omnium predictorum dignaremur eis & eorum ſucceſſoribus concedere, conferre, & appropriare intuitu caritatis. Nos igitur tam pie petitioni prona viſcera reſerantes ſuper premiſſis omnibus & ſingulis, vocatis quorum intererat, per inquiſitionem ſolennem in hac parte rite factam, & alia legitima documenta, habito etiam tractatu in noſtro capitulo diligenti ſuper veritate omnium predictorum, invenimus omnia liquido eſſe vera. Quamobrem de aſſenſu ejuſdem capituli noſtri & unanimi voluntate, invocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem ſancte & individue Trinitatis, laudem Virginis glorioſe, honorem omniumque ſanctorum, nec non divini cultus continuationem per viginti ſex monachos faciendam, ſuſtentationem triginta pauperum exhibendorum perpetuo, ac onus hoſpitalitatis incumbentis, quod propter diſtantiam aliorum

rum locorum inacceſſibilium, eorum monaſterium plus aliis afficit & moleſtat, nec non impoſitiones extorſioneſve ac alias preſſuras ex variis cauſis contingentes facilius tolerandas: eccleſiam de Poywyke ante dictam, rectore ejuſdem cedente vel decedente, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis cedimus & aſſignamus, confirmamus & appropriamus modo quo poſſimus de jure meliori, ipſas conceſſionem, aſſignationem, collationem & appropriationem auctoritate pontificali confirmantes; ſalvis nobis ſucceſſoribuſque noſtris pontificali cathedre nec non archidiaconi loci archidiaconali in omnibus dignitate, & tempore viſitationis noſtre & ſucceſſorum noſtrorum ac adminiſtratoris ſpiritualium in ipſa dioceſi ſede vacante, cum decanatum, clerum, & populum loci ejuſdem viſitaverimus vel viſitaverit, quatuor marcis argenti, nomine procurationis a dictis priore & conventu percipiendis; ſalva etiam una marca argenti eccleſie noſtre cathedrali Wygorn. quam dicti religioſi Malverne in ſignum ſubjectionis & temporalis dampni recompenſationem gratis obtulerunt ipſis religioſis Wygornienſibus eandem gratis acceptantibus. Cujus ſolutioni annuatim in feſto ſancti Michaelis de utrorumque religioſorum conſenſu fieri ordinamus, volumus, & mandamus. Et portione vicarie in eccle-

ſia

ſia prediƈta per nos vel ſucceſſores noſtros in portionibus competentibus ſtabilienda & ordinanda, quam ad eſtimationem duodecim marcarum taxamus & competentem reputamus, jure preſentandi nobis vel ſucceſſoribus noſtris vel adminiſtratori ſpiritualium in ipſa dioceſi, ſede vacante, perſonam ydoneam ad eandem vicariam cum ordinata fuerit priori & conventui Malverneye prediƈtis & eorum ſucceſſoribus ſemper ſalvo. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Dat. Lond. xvii. kal. Decembris, anno Domini MCCCXIIII. conſecrationis vero noſtre ſecundo. Nos igitur prior & capitulum antediƈti conceſſionem, aſſignationem, collationem, appropriationem, reſervationem, ordinationem, & vicarie taxationem prout premittitur faƈtas approbantes & ratificantes ipſas omnes & ſingulas ex certa ſcientia confirmamus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum commune apponi fecimus huic ſcripto. Datis in capitulo noſtro Wygornienſi xviii. kal. Februarii, anno Domini ſupradiƈto.

Confirmatio

Confirmatio appropriationis ecclefie de Langeleg Priori & Conventui majoris Malverne predictis [i].

UNniverſis ſancte matris eccleſie filiis ad quos preſens ſcriptum pervenerit, frater Johannes prior eccleſie cathedralis Wygornienſis & ejuſdem loci capitulum, ſalutem in Domino ſempiternam. Scriptum bone memorie domini S. Dei gratia quondam Wygornienſis epiſcopi inſpeximus continens hunc tenorem: Univerſis ſancte matris eccleſie filiis S. Dei gratia Wygornienſis epiſcopus eternam in Domino ſalutem. Cum plantare debeamus religionem, quam ſi forte in nobis ipſis non habemus, in aliis tamen eam fovere tenemur, & conſervare viros religioſos, qui ſeculo renuntiantes ſoli Chriſto militare elegerunt, pre ceteris nutrire volumus, & promovere. Unde attendentes honeſtam converſationem monachorum majoris Malvernye, & nimiam ejuſdem domus paupertatem, & frequentem hoſpitum receptionem, & pauperum ibidem refugium: divine pietatis intuitu conceſſimus eis & in corporalem poſſeſſionem ſolenniter induximus eccleſiam de Langeleg in uſus ſuos habendam & poſſidendam imperpetuum cum

[i] Folio 66. a.

omnibus pertinentiis ſuis & libertatibus; ſalva honeſta vicaria quinque marcarum aſſignandarum in altaragio dicte eccleſie, ſalvo & nobis & ſucceſſoribus noſtris jure dioceſano. Ut autem hec noſtra conceſſio & in poſſeſſionem inductio firme ſint imperpetuum & ſtabiles, eas preſentis ſcripti teſtimonio & ſigilli noſtri appenſione corroboravimus hiis teſtibus, A. abbate Cyrenceſtr. magiſtro R. de Clipeſton, officiali noſtro; magiſtro Nicholao de Wlfrenehampton, magiſtro Matheo de Grimele, Rad. de Wykewan, Waltero de Lench, magiſtris W. elemoſinario, & multis aliis. Nos igitur prior & capitulum antedicti predictas conceſſionem & in corporalem poſſeſſionem inductionem eccleſie de Langeleg cum cauſis, nec non taxationem vicarie approbantes & ratificantes, ipſas omnes & ſingulas ex certa ſcientia confirmamus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum commune apponi fecimus huic ſcripto. Dat. in capitulo noſtro Wygorn. xviii. kal. Februarii, anno Domini milleſimo trecenteſimo quarto decimo.

Obligatio

Obligatio unius marce annue Prioris & Conventus magne Malverne [k].

PAteat univerſis quod cum nos Hugo prior, & conventus majoris Malverne, in ſignum ſubjectionis & temporalis dampni, obtulerimus religioſis viris dominis priori & capitulo eccleſie cathedralis Wygornienſis & eorum ſucceſſoribus unam marcam argenti annis ſingulis eiſdem exſolvendam a nobis & ſucceſſoribus noſtris in feſto ſancti Michaelis, per ordinationem reverendi patris domini W. Dei gratia Wygornienſis epiſcopi, ut in autentico ipſius patris ſuper appropriatione eccleſie de Poywyke nobis facte plenius continetur. Ad ipſius marce ſolutionem annis ſingulis, & termino faciendam predictis religioſis, & eorum ſucceſſoribus in eccleſia ſua cathedrali per nos & noſtros ſucceſſores ſub titulo annuitatis nos & monaſterium noſtrum preſentibus obligamus. Inſuper obligamus nos & monaſterium noſtrum & ſucceſſores noſtros teneri predictis religioſis Wygorn. in centum ſolidos ſterlingorum ſub nomine puri debiti, quotiens nos vel ſucceſſores noſtri in ſolutione dicte marce defecerimus anno ſeu termino prenotatis. In cujus rei teſtimonium ſigillum

[k] Folio 66. a.

noſtrum commune fecimus hiis apponi. Dat. in capitulo noſtro Malverne xiii. kalend. Februarii, anno Domini milleſimo trecenteſimo quarto decimo.

Carta Priori & Conventui majoris Malverne confecta ſub communi ſigillo Prioris & Conventus Wygorn. de diverſis particulis terrarum & tenementorum in Poywike, Brannesford, & Leye[1].

Sciant preſentes & futuri quod nos Wlſtanus prior eccleſie beate Marie Wygorn. & ejuſdem loci conventus de conſenſu unanimi dedimus & conceſſimus & hac preſenti carta noſtra confirmavimus Hugoni priori magne Malvern & ejuſdem loci conventui, omnes terras & tenementa noſtra cum gardinis, curtilagiis, pratis, paſcuis, paſturis, boſcis, gravis, moris, planis, viis, ſemitis, haietis & foſſatis, & omnibus aliis & ſingulis ſuis pertinentiis, que habuimus & tenuimus in Poywyke, Brannesford, & Leye; videlicet totam illam terram quam habuimus de dono & feoffamento domini Guidonis de Poywyke capellani, que vocatur Gildehalle croſte, jacentem juxta croftam Johannis de la Grene in Poywyke; & totam illam terram cum pertinentiis quam habuimus de dono

[1] Folio 100. b.

&

& ſeoffamento Johannis filii Hugonis clerici de Poywyke, jacentem inter terram que quondam fuit Ricardi de Boudone quondam vicarii de Poywyke, & terram que vocatur Longe forlonge in Poywyke; & duo meſſuagia cum pertinentiis in Poywyke que Johannes de la Grene tenuit, quorum unum eſt in Poukecroft, una cum dicta crofta que vocatur Poukecroft, quam habuimus de dono & feoffamento domini Johannis Capellani filii Ricardi de Poywyke, jacente in latitudine inter viam regiam & terram que fuit Thome Juvenis, & extendit ſe de curtilagio quod fuit ejuſdem Thome uſque ad terram que fuit Simonis de Longo campo, & aliud meſſuagium jacet in Couleſcroft inter terram que fuit Walteri Juvenis & terram que fuit Thome filii Ade Molendinarii, & totam illam terram in Arlehey quam habuimus de dono & feoffamento Willelmi filii Ricardi in Brannesford & Leye; & totam illam croftam que vocatur Neweland in Poywyke, quam habuimus de dono & feoffamento Willelmi de Machine de Poywyke jacentem juxta viam regiam que dicitur Norhulle, & quoddam pratum quod jacet in le Dedefeld, cum arboribus & foſſatis ad idem ſpectantibus cum libero chymino ad pratum predictum omni tempore anni, quod habuimus de dono & feoffamento Walteri Atte Hulle Upintoune in Poywyke; & unam dimidiam

midiam acram prati jacentem in Emore, quam habuimus de dono & feoffamento Ade le Whyte in Poywyke, & quoddam horreum cum curtilagio & quercu quadam magna & circumlevatura viva ſimiliter & unam parrokam viridem cum foſſato, ſepe, & arboribus circa & infra eandem parrokam creſcentibus, que habuimus de dono & feoffamento Thome filii Thome Juvenis & Solicie uxoris ejus, jacentem inter gardinum quondam dictorum Thome & Solicie, & Poukecroft; & quandam croftam jacentem inter Poukecroft & Worthyn tendentem ad campum qui ſe extendit ad Wyglynghale in uno capite, & in alio capite inter curtilagium quod fuit predictorum Thome & Solicie, & eandem croftam cum foſſatis, ſepe, & arboribus circa dictam croftam creſcentibus, quam quidem croftam ſimiliter habuimus de dono & feoffamento ipſorum Thome & Solicie; & unam particulam terre in le Dedefeld; & unam croftam que vocatur Redehulle, & totam illam terram que ſe protendit a crofta que fuit predictorum Thome & Solicie uſque ad Wyginhale, que ſimiliter habuimus de dono & feoffamento predictorum Thome & Solicie in Poywyke. De quibus quidem terris & tenementis cum pertinentiis Johannes filius & heres dicti Thome Juvenis totum jus ſuum quod habuit in eiſdem terris & tenementis per ſuam quietam clamantiam nobis

nobis relaxavit; & omnes terras, tenementa, & redditus cum omnibus ſuis pertinentiis que habuimus ex dimiſſione Johannis de la Grene de Poywyke & Criſtine uxoris ejus, & de relaxatione Johannis filii & heredis dicti Johannis de la Grene ex adquiſitione Thome tunc ſacriſte eccleſie beate Marie Wygorn. predicte; unde due acre protendunt verſus Crome; & crofta illa que vocatur Coveleſcroft, & una acra prati apud Trewod in Poywyke, & tres acras prati quas Johannes Prich, Johannes Cradan, & decanus de Poywyke quondam tenuerunt in Brademedewe & juxta Brademedew. Habenda & tenenda omnia & ſingula predicta tenementa cum eorum omnibus pertinentiis, eiſdem Hugoni priori magne Malvern & ejuſdem loci conventui, & eorum ſucceſſoribus imperpetuum de capitalibus dominis feodorum illorum per ſervitia que ad dicta tenementa pertinent. Er nos vero predicti Wlſtanus prior eccleſie beate Marie predicte & ejuſdem loci conventus, & ſucceſſores noſtri omnia ſupradicta tenementa cum eorum omnibus & ſingulis ſuis pertinentiis, prout plenius ſupradictum eſt, predictis Hugoni priori magne Malvern & ejuſdem loci conventui & eorum ſucceſſoribus contra omnes gentes warantizabimus, acquietabimus & imperpetuum defendemus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum commune preſentibus

eſt

eſt appenſum. Hiis teſtibus, Roberto de Bracy, Alexandro de Fryvill militibus, Willelmo de Bradeweye, Adam de Herwynton, clerico; Johanne de Pikerſham, Johanne Thurkel, Thoma de Dountone, & aliis.

Carta Johannis Swallewey pro officio cuſtodis boſcorum noſtrorum infra Chaciam Malvern[m].

OMnibus Chriſti fidelibus ad quos preſens ſcriptum pervenerit, Johannes permiſſione divina Wygorn. epiſcopus ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis me dediſſe & per preſentes conceſſiſſe dilecto ſervienti noſtro Johanni Swalewey officium cuſtodie boſcorum noſtrorum & viridarii infra dominium noſtrum de Wennelode ſeu alibi infra chaciam de Malverne in comitatu Wygorn. nobis & eccleſie noſtre ex antiquo pertinentium ſive ſpectantium, ac etiam officium collectionis reddituum firmarum attachement. & aliorum quorumcunque exituum & proficuorum dominii predicti annuatim debitorum ſeu provenientium. Habend. officium predictum prefato Johanni Sallewey ad terminum vite ſue & annuatim ad ea occupanda, exercenda, &

[m] Folio 494. a.

exequenda

exequenda per ſe & ſufficienter deputatum ſeu deputatos ſuos, prout ratio exigit & requirit, abſque vaſto ſeu diſtrictione in eiſdem faciendo. Reddendo inde annuatim nobis & ſucceſſoribus noſtris, durante termino predicto rationabile computum ac plenariam ſolutionem omnium exituum & proficuorum dominii noſtri predicti, quotiens & quando idem Johannes Sallewey per ſe vel deputatum ſeu deputatos ſuos per nos, ſucceſſores, aut aſſignatos noſtros ad hoc debite requiſitus fuerit, percipiendo annuatim pro termino vite de exitibus & proficuis ejuſdem dominii xl. ſolidos ſterlingorum, ad feſtum Annuntiationis beate Marie Virginis & ſancti Michaelis archangeli equaliter S. eidem Johanni ſuper ejus computum allocandos, nomine feodi vadiorum regardi ſeu liberatorum ballivorum pro officio predicto occupando & exercendo; ac etiam unam togam annuatim durante termino predicto ad ſectum generoſorum, vel ſex ſolidos & octo denarios nomine dicte toge, ad libitum noſtrum & ſucceſſorum dicto Johanni Sallewey ſolvendos. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum duximus apponendum. Data in hoſpitio noſtro de Coventre tertio die Menſis Martii, anno Domini milleſimo quadragınteſimo quinquageſimo ſexto, & anno regni regis Henrici ſexti trigeſimo ſeptimo, & noſtre conſecrationis anno primo.

Confirmatio Capituli noſtri Wygornie.

Data ac confirmata in capitulo noſtro Wygornie, decimo die menſis Aprilis, anno ſupradicto.

Ex Regiſtro Maydeſton.

Appropriatio eccleſie de Poywyke Priori & Conventui majoris Malverne, ut ſupra [a].

Procuratorium factum Ricardo de Frome de recipiendo inveſtituram dicte eccleſie nomine dictorum Religioſorum [o].

REverendo patri in Chriſto ac domino, domino Waltero Dei gratia Wygornienſi epiſcopo, ſui humiles & devoti filii, fratres Hugo prior magne Malverne, & ejuſdem loci conventus, obedientiam, reverentiam, & honorem debitos tanto patri. Noverit veſtra ſanctitas reverenda nos de communi aſſenſu ordinaſſe, conſtituiſſe, & feciſſe confratrem noſtrum Ricardum de Froma procuratorem noſtrum, ad petendum & nanciſcendum inveſtitionem eccleſie de Poywik a veſtra paternitate, cum ipſam per ceſſionem rectoris ejuſdem, vel alium legiti-

[a] Folio. 16. b. [o] Ibidem.

mum

mum modum vacare continget, nec non corporalem inductionem in eandem, ac nomine noſtro pro eadem canonicam obedientiam faciendam. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum commune preſentibus eſt appenſum. Dat. in capitulo noſtro Malverne viii. idus Novembris, anno Domini milleſimo trecenteſimo quartodecimo.

Inveſtitura dicte eccleſie de Poywike facta Religioſis majoris Malverne [p].

WAlterus permiſſione divina Wygornienſis epiſcopus dilectis filiis ſuis priori & conventui magne Malvernie, noſtre dioceſeos, ſalutem, gratiam, & benedictionem. In eccleſia de Poywike, noſtre dioceſeos per reſignationem domini Ade de Herwynton nobis factam & per nos admiſſam vacantem, quam vobis & monaſterio veſtro, cedente vel decedente ipſius eccleſie rectore, canonice appropriavimus, & in uſus proprios aſſignavimus, vos per deputatum Ricardum de Froma procuratorem veſtrum inveſtivimus per noſtrum birretum; ſalvis nobis & ſucceſſoribus noſtris pontificali, cathedrali, nec non archidiaconali loci archidiaconi in omnibus dignitate; ſalvis etiam nobis, & ſucceſſoribus noſtris, ac adminiſtratori ſpiritualium, ſede

[p] Folio 16. b.

Wygorn. vacante, nec non eccleſie noſtre cathedrali Wygorn. omnibus & ſingulis articulis, que in ipſa appropriatione plen us continentur. Dat. Lond. xiv. kal. Decembris, anno Domini milleſimo trecenteſimo quartodecimo.

Inductio eorumdem Religioſorum in corporalem poſſeſſionem dicte eccleſie de Poywike[q].

WAlterus permiſſione divina epiſcopus Wygornienſis dilecto nobis in Chriſto filio officiali archidiac. Wygorn. ſalutem, gratiam, & benedictionem. Cum nos eccleſiam de Poywik, noſtre dioceſeos, cedente vel decedente dilecto filio noſtro Ada de Herwynton nuper dicte eccleſie vero rectore, certis & legitimis ex cauſis religioſis viris priori & conventui magne Malvernie appropriaverimus, & in uſus proprios perpetuo poſſidendam aſſignaverimus intuitu caritatis, ac in preſenti facta vacatione ejuſdem eccleſie per reſignationem predicti domini Ade, quam admiſimus, prefatos priorem & conventum per ſuum procuratorem inveſtiverimus in eadem, decernentes eoſdem religioſos viros in poſſeſſionem eccleſie antedicte, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis, fore

[q] Folio 16. b.

mittendos

mittendos, juſtitia exigente; vobis in virtute obedientie firmiter injungendo committimus & mandamus, quatinus dictos religioſos per eorum procuratorem in corporalem poſſeſſionem dicte eccleſie cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis inducatis ſeu faciatis induci, & defendatis inductos, contradicentes & rebelles per quamcumque cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quid autem in premiſſis feceritis, cum per partem dictorum religioſorum fueritis congrue requiſiti, nos diſtincte & aperte per veſtras literas patentes harum ſeriem continentes certificare curetis. Dat. Lond. xiv. kal. Decembris, anno Domini milleſimo trecenteſimo quarto decimo.

Charta regis Henrici primi, ex Monaſtico Anglicano [r].

H. rex Anglie archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, vicecomitibus, & baronibus, & omnibus fidelibus ſuis Francis & Anglis, & Wallenſibus tocius Anglie, & Wallie, ſalutem. Sciatis me conceſſiſſe Deo & ecclesie ſancte Marie de Malverna, & monachis ibidem Deo ſervientibus unam virgatam terre de Baldehala, & omnia que ſuper, pro anime mee & parentum meorum ſalute, ſicut pater meus Willielmus rex eam eis dedit, & conceſſit pro remedio anime ſue. Et illi quatuor ſolidi, qui inde de redditu accipiebantur, antequam monachi eam habebant, ponantur in tallia mea, & ipſi inde ſint quieti, ſicuti pater meus eis conceſſit. Et concedo eis & dono illas duas ſolidatas terre, id eſt, Achiſeiam que pertinet ad Scotteſdunam, unde Wido filius Helgoti ſolebat reddere duos ſolidos per annum de firma. Et concedo eam eis quietam de illis duobus ſolidis, & de omnibus aliis ſerviciis, pro ſalute anime mee. Et concedo eis duas hidas terre omnino quietas de geldis omnibus, & omnibus aliis querelis & ſcotis, quarum una eſt in Wireceſtre-

[r] Pat. 50. Ed. 3. par. 1, m. 15. per inſpeximus.

ſcire,

ſcire, & altera in Staffordeſcire apud Quatam. Et concedo eis illas terras de Wrdesfelda & de Limberga illa nova eſſarta, ſicut Giſlebertus abbas Weſtmonaſterii communi conceſſu capituli eccleſie conceſſit & dedit, & ſicut Hugo & Warnerus monachi illa perambulaverunt, & ipſis monachis ex parte abbatis ſui liberaverunt. Et concedo eis eccleſiam de caſtello Ricardi filii Pontii in Cantarabohan, & duas carucatas de terra illa, & omnes decimas Ricardi de omnibus redditibus ſuis de illa terra. Et eccleſiam de Lecten, & unam hidam, & virgatam terre in eadem villa, & omnem decimam Ricardi de eadem villa, & decimam de dominio Ricardi de terra de Eſtradel, que vocatur Becchen, ſicut predictus Ricardus & Matildis conjunx ſua, & Simon filius ſuus dederunt, & conceſſerunt eis pro redemptione anime ſue. Et concedo eis terram de Hatfelda, quam eſcambiaverunt Rogero de Candos pro terra ſua de Strada conceſſu meo, ita ut eam de me in capite teneant in elemoſinam, ita ſolutam & quietam ab omni ſeculari ſervitio, ſicut tenebant aliam; excepto hoc ſolo, quod inde reddent gelda mea, que non ſolebant reddere de terra ſua de Strada. Et concedo eis terram de Lamdeſpidic, cum omnibus que ei pertinent, & terram quandam in Chelem, & eccleſiam de Bereſchi, cum omnibus decimis

cimis & aliis que (ad eadem) pertinent, & eccleſiam de Marteconot, cum omnibus decimis & aliis que (ad eadem) pertinent, ſicut Milo Glouceceſtr. eas eis dedit, & conceſſit. Et concedo eis piſcariam deſuper Savernam, que pertinet terre Lungenedie, cum hominibus & terra eorum qui eam cuſtodiunt, ſicut Osbertus filius Poncii eis eam dedit & conceſſit. Et concedo eis illam virgatam terre in Martuna, quam Landricus de Clifford reddidit Giſleberto abbati Weſtmonaſterii, quam Giſlebertus abbas, conſenſu communis capituli, eis dedit & conceſſit. Et concedo eis eccleſiam ſancti Germani de Lanrieragh, ſicut Rotbertus filius Willielmi dedit & conceſſit, & ſicut Rotbertus comes Glouceſtriae, de cujus feodo eccleſia illa eſt, conceſſit. Et volo & firmiter precipio, ut ipſi ea omnia ſicut predicta ſunt, ita bene teneant, & in pace, & quiete, & honorifice, ſicut domini ſuperius enumerati eas eis conceſſerunt & dederunt. Teſtibus Ricardo epiſcopo Herefordenſi, & Bernardo epiſcopo de ſancto Davide, & Simone epiſcopo Wygornie, & Willielmo camerario de Tancardi villa, & Briencio filio Comitis, & Willielmo de Albineio pincerna, & Milone Glouceſtrie, & Adam de Port, & Paganno filio Johannis, & Gaufrido filio Pagani, & Rogero de Candos, & Waltero de Bellocampo apud Herefordiam.

Alia

Alia Charta regis Henrici primi [a].

HEnricus Dei gratia rex Anglorum, & dux Normannorum, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, omnibuſque baronibus, & miniſtris ſuis, Francis & Anglis totius Anglie, ſalutem. Sciatis communiter, me non tantum modernitatis, verum etiam anteceſſorum meorum, & poſteritatis mee utilitati providentem, in nomine ſancte & individue Trinitatis, ob honorem & amorem glorioſe virginis Marie genetricis Dei, eccleſiam Malvernie ipſius nomine dedicatam, & monachorum habitationi perpetuo deputatam, cum omnibus ad illam pertinentibus, pro redemptione anime mee, pro animabus patris, & matris, & fatris mei, & pro ſucceſſorum meorum ſalute, in regie poteſtatis mee manutenemento & defenſione ſuſcepiſſe. In primis itaque locum ipſum, in quo prefata eccleſia conſtructa eſt, cum terris & poſſeſſionibus ab anteceſſoribus meis regibus bone videlicet memorie rege Edwardo & Willielmo patre meo, vel etiam a meipſo ſibi collatis, ſicut in omnipotentis Dei, & beate Virginis obſequio, pro remiſſione peccatorum meorum, pro pace regni, & ſtabilitate indeſinenter

[a] Dugd. 365. b. & 367. a. Ubi male legitur *ſecundi*.

occupatum manere deſidero, ita etiam ab omni ſeculari ſervicio cunctis temporibus liberum & quietum clamo & firmiter eſſe precipio. Aſſarta denique, que a fratribus ejuſdem monaſterii, vel eorum ſumptu in foreſta Malvernie licentia patris mei, vel mea facta ſunt, cum una virgata terre in Baldeh de feudo de Hanley, quam rex Eduuardus dedit, ſicut pater meus rex W. conceſſit, libera eſſe precipio: et de IIII. ſol. qui de predicta virgata ad ſcaccarium reddebantur, antequam monachi eam haberent, ipſos in perpetuum quietos eſſe concedo. Novam quoque Terram cum Windeſſ & Limberg, ſitam inter Poiwicam & Baldeh, ſicut Walterus de Glouceſtria, & alii barones meos, ex parte mea, & Giſlebertus abbas Weſtmonaſterienſis, & conventus per Hugonem & Warnerium, monachos ſuos ex parte ſua prenominatis fratribus liberaverunt & dederunt, ab omni ſeculari ſervicio liberam eſſe concedo & confirmo. Huic eciam regali munificentie aucmentum dono villam ſcilicet de Langen, ſitam in Glouceſterſire, cum eccleſia, & cunctis pertinentiis ſuis, quam Osbertus filius Poncii predictis fratribus apud Wintoniam in preſentia mea dedit, ſet ut eam futuris temporibus honorabilius poſſiderent, in manu mea illam ſicut quam non parentum ſucceſſione, ſet patris mei gratuito dono habuerat, ab omni ſui vel heredum

ſuorum

ſuorum reclamatione ſolutam & quictam reddidit, & ego eam prefato monaſterio & ejuſdem loci fratribus manu propria dedi, & in perpetuam elemoſinam regia auctoritate confirmavi, ut ipſam de cetero cum omni libertate & quietudine ſecularis ſervicii de me & ſucceſſoribus meis in capite teneant. Hoc autem determinate obſervandum conſtituo, ut nec abbas Weſtmonaſterii, nec quelibet alia perſona ſecularis vel eccleſiaſtica, de hoc beneficio noſtro jus, vel poteſtatem habeat aliud ſtatuendi, vel illud ad alium locum transferendi. Dono inſuper eis duas hidas terre, quas Wido filius Holgodi in manu mea reddidit, quarum una eſt in Wyreceſterſire, & altera in Staffordeſire nomine Quata, quietas omnino de omnibus geldis, & omnibus aliis querelis, & ſcotis, predicto modo de me & ſucceſſoribus meis in capite tenendas.

Concedo quoque eis & confirmo villam de Fuleford, ſitam in Staffordeſire, quietam & liberam ab omni ſeculari ſervicio, ſicut unquam eam tempore patris & fratris mei melius tenuerunt. Dono etiam eis terram de Northwode ad ſartand. inter Hanekesbroc & Lindrugeſithe ab Heneduneia in Sabrinam, quiete & libere in perpetuum poſſidendam; & ex altera parte Sabrine, dono eis duas ſolidatas terre, i. e. Hakieſheia, cum quadam parte ſilve, que pertinuit ad Stottesdunam per terminos illos quos

Fulco Vicecomes perambulare fecit, qui eos inde per preceptum meum ſeiſivit, & de illis duobus ſolidis,& de omnibus aliis ſervitiis, eam liberam eſſe concedo. Dono quoque eis & confirmo villam de Hathfeld, ſitam in Hereforteſire, cum ſuis pertinentiis, quam conceſſu meo, excambiaverunt Rogero de Chandos pro terra quam prius dederam illis in valle de Strade, in liberam elemoſinam de me & ſucceſſoribus meis in capite tenendam. Volo igitur & firmiter precipio, quatinus prenominati fratres terras omnes preſcriptas cum ſuis pertinentiis, ſicut dominicam elemoſinam meam puram & liberam bene, & in pace, & honorifice, cum libertatibus, que ſake, ſokne, tol, & team, & infangentheof nominantur, perpetualiter teneant, quia eas ab omni regia conſuetudine, & ab omni collectione cenſus, que Geld vel Denegeld, ſeu Scot Anglice vocatur, ab omnibus placitis, & querelis, & ſciris, & hundredis, & auxiliis vicecomitum, & ab omnibus rebus & occaſionibus, & ab omni caſtelli ſeu quocumque opere ſervili, vel etiam ſervitio ſeculari, quietas in perpetuum clamo, & liberas eſſe concedo. Et ne aliquis ſuper hoc eis vim, vel violentiam, vel injuriam aliquam inferat, vel inferre preſumat, poteſtate regia defendo. Conteſtor itaque omnes heredes meos & reges omnes, qui poſt me in Anglia regnaturi ſunt, per tremendum

judicium

judicium Dei, ut hanc meam & illorum elemoſinam manuteneant & defendant, ut Deus regnum ipſorum gubernet & adaugeat, pacificet & defendat, & ipſi poſt temporale regnum habere mereantur eternum. Quicumque autem eam infregerint, vel infringere temptaverint, ſeu diminuerint, niſi factum ſuum digna ſatisfactione correxerint, in preſenti fame & clade pereant, & cum Juda traditore Domini partem habeant in futuro. Ego. H. Dei gratia Anglorum rex hanc donationis mee cartam ſigno ſancte crucis confirmavi. Facta eſt autem anno Verbi incarnati MCXXVII. indictione V. Wintoniæ. Signum + Regis Henr. Signum + Regine Adelecie. Signum + Rogeri epiſcopi Saresb. Signum + Bernardi epiſcopi de ſancto David. Signum + Gaufridi cancellarii. Signum + Willielmi de Tancarvilla. Signum + Pagani filii Johannis. Signum + Milonis de Glouceſtria. Nos autem donationes, &c.

De

*De fundatione Malvernenſis Cœnobii, ex Mon. Ang. Vol. 2. p. 876 *.*

. . . . PRior dicit, quod prioratus majoris Malverne aliquo tempore ante Conqueſtum fuit quoddam Heremitorum, de fundatione cujuſdam Urſonis D'abytot fundatum, & poſtmodum quidam abbas Weſtmonaſterii, predeceſſor abbatis nunc, de aſſenſu ipſius Urſonis conſtituit ibidem quendam priorem & monachos, & contulit eis & ſucceſſoribus ſuis maneria de Nova Terra, Wortefeld, & Poiwyk. Et ſimiliter quidam Osbertus filius Pontii contulit eis manerium de Longeneye, Guido filius Holgodi duas hidas terre, & Rogerus de Chaundos villam de Hatfeld. Habenda & tenenda ſibi & ſucceſſoribus ſuis in puram & perpetuam elemoſinam. Quas quidem donationes Dominus Henricus rex primus (ſcil. regis Willielmi Conqueſtoris filius) ratificavit, conceſſit, & confirmavit: & etiam dedit eiſdem priori & conventui decem libratas terre cum pertinentiis in Badenhale, Malverne, Northwod, & Fulford, habenda & tenenda ſibi & ſucceſſoribus ſuis in forma predicta, quieta ab omni onere & ſervicio ſeculari, pro ani-

* Plac. coram rege apud Ebor. term. Mic. 12 E. 2. Rot. 28.

ma

ma ipſius H. regis, & animabus progenitorum & heredum ſuorum.

Ex Lelandi Coll. v. 1. p. 62.

PRioratus ordinis Sancti Benedicti de Malverne majori, cella eſt Weſtmonaſterii.

Capella S. Johannis Baptiſte vicina prioratui, ubi S. Werſtanus martyrium pertulit.

Quidam Aldwine heremita, cum ſuis fratribus, incepit edificare domum de Malverne XVIII anno Gulielmi Conqueſtoris. Gulielmus Conqueſtor, & Henricus ejus filius adjecerunt poſſeſſiones.

* Henricus de Clare comes de Gloceſtria, Osbernus Pontium, & Ricardus Pontium benefactores hujus domus.

Avicot in comitatu Warwici cella, ubi ſunt quatuor monachi.

* *Gilbertus* Dugd. p. 365.

*De annua penſione Prioris de Malverne **.

UNiverſis Chriſti fidelibus, ad quos preſentes litere pervenerint, frater Ricardus prior monaſterii de majori Malvernia, ordinis ſancti Benedicti Wygorn dioceſeos, & ejuſdem loci conventus, ſalutem in Domino ſempiternam. Ad univerſitatis veſtre noticiam volumus pervenire, quod penſatis equo libramine dampnis, & intereſſe que occaſione appropriacionis eccleſie parochialis de Upton Snodesbury, Wygornens. dioc. nobis & monaſterio noſtro majoris Malvernie predict. per venerabilem patrem & dominum, dominum Tydmannum Dei gratia Wygorn epiſc. nuper facte priori & capitulo eccleſie cathedralis predicte, quociens ejuſdem eccleſie cathedralis ſedem futuris temporibus vacare contigerit, & alio modo accidere poterunt multipliciter in futurum. Nos prior & conventus predict. ob ſincere caritatis & devotionis affectum, quem erga eccleſiam cathedralem predictam gerimus, ut tenemur, in recompenſationem damnorum hujuſmodi, & intereſſe, ac etiam pro evidenti utilitate monaſterii noſtri antedicti, priori & capitulo eccleſie cathedralis predicte & eorum ſucceſſoribus, ac eorum eccleſie cath. penſio-

* Liber Penſionum, f. 5. b.

nem

nem ſeu cenſum tresdecim ſolidorum & quatuor denariorum bone & legalis monete, ſub titulo annuitatis ſeu cenſus annui, in feſto St. Mich. arch. futuris temporibus in eadem eccleſia cathedrali eiſdem priori & capitulo & eorum ſucceſſoribus, cum appropriacio dicte eccleſie parochialis de Upton Snodesbury debite ſortita fuerit effectum, perpetuo perſolvendum dedimus & conceſſimus; ad cujus pecunie ſolucionem in forma premiſſa fideliter faciendam predict. priori & capitulo ac eorum ſucceſſoribus per nos & ſucceſſores noſtros futuris ac perpetuis temporibus nos & monaſterium noſtrum majoris Malvernie predictum, ac eccleſiam noſtram de Upton Snodesbury predictam, fructuſque & proventus ejuſdem diſtrictioni & cohercioni domini Wygorn. epiſcopi ac officialis & commiſſarii ejuſdem, qui pro temporibus fuerint, quociens in ſolucione dicti annui cenſus ceſſatum fuerit in parte vel in toto aliquo ſuo termino, ſpecialiter ſubmittimus per preſentes. Concedimus inſuper & obligamus nos & monaſterium noſtrum de majori Malvernia, & eccleſiam noſtram de Upton Snodesbury predict. ac ſucceſſores noſtros teneri predict. priori & capitulo, & eorum ſucceſſoribus in centum ſolidis bone & legalis monete ſub nomine puri debiti, quociens nos vel ſucceſſores noſtri in ſolucione predictorum tredecim ſolidorum, & quatuor denari-

orum, ut premittitur, faciend. defecerimus anno ſeu termino prenotat. ſeu ſaltem infra menſem proxime ſequentem. Et ad ejuſdem annue penſionis tresdecim ſolidorum & quatuor denariorum ſolucionem fideliter ut premittitur faciendam, & etiam centum ſolidorum ſi defecerimus in ſolucione dictorum tresdecim ſolidorum & quatuor denariorum, ſic ut premittitur faciend. obligamus nos & ſucceſſores noſtros, ac manerium noſtrum de Poywyke in Com. Wygorn. ad quorumcumque manus devenerit, diſtrictioni dictorum prioris & capituli, & ſucceſſorum imperpetuum. Quibus eciam priori & capitulo & eorum ſucceſſoribus concedimus, quod diſtrictiones in dicto manerio capte quocienscumque racione non ſolucionis penſionis annue ſeu centum ſolidorum ſupradict. valeant abducere quocumque voluerint & retinere, quouſque de dicta penſione ac centum ſolidis & ejuſdem arreragiis, dampnis, & expenſis ſi que fuerint eiſdem priori & capitulo & eorum ſucceſſoribus plenarie fuerit ſatisfactum. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum commune preſentibus eſt appenſum. Dat. apud Malverne in domo noſtra capitulari, viceſimo primo die menſis Septembris, anno Domini milleſimo CCC^{mo} nonageſimo octavo.

De Penſione

De penſione ſede vacante [a].

UNiverſis Chriſti fidelibus has literas inſpecturis prior & conventus Wygornie ſalutem in Domino. Cum religioſi viri domini prior & convêntus majoris Malvernie Wygornien. dioceſis ob devocionem, quam ad nos & noſtram eccleſiam Wygorn. noſcuntur habere, de ipſorum conſenſu unanimi nobis conceſſerunt & promiſerunt bona fide pro ſe & ſucceſſoribus eorumdem, quod quocienſcumque eccleſiam Wygorn. vacare continget, infra primos quindecim dies poſt publice notam vacacionem ejuſdem, & poſtquam noſter prior vel ſupprior dictam dioceſim inceperit viſitare, virtute compoſicionis olim in hac parte facte, dicti domini prior & conventus Malvernie per aliquem de ſuis ad majus altare noſtre eccleſie antedicte, dum altam miſſam in ea contigerit celebrari, offerent & ſuper illud dimittent libere centum ſolidorum ſterlingorum, ſicut in litteris dictorum dominorum prioris & conventus Malvernie plenius continetur. Nos ipſorum devocionem plenius attendentes, ipſis religioſis viris priori & conventui Malvernie unanimi conſenſu pro nobis & ſucceſ-

[a] Liber Penſionum f. 5. b. & 6. a.

ſoribus noſtris concedimus bona fide, & promittimus per preſentes, quod ſi infra primos quindecim dies poſt quamlibet publice notam vacacionem noſtre eccleſie memorate, & poſtquam noſter prior vel ſupprior dictam dioceſim inceperit viſitare, virtute compoſicionis predicte, dicti domini prior & conventus Malvernie per aliquem de ſuis ad majus altare ejuſdem noſtre eccleſie, dum in ea altam miſſam celebrari continget, offerent & ſuper illud dimittent libere quadraginta ſolidos ſterlingorum in utilitatem noſtre eccleſie convertendos, recepta aquietancia de ſoluto, ſigillo prioris Wygorn. conſignata; tunc dicti domini prior & conventus Malvernie a ſolucione dictorum centum ſolidorum ſint liberati & etiam abſoluti. Si autem in aliqua vacacione futura noſtre eccleſie antedicte, ipſos dominos priorem & conventum Malvernie a ſolucione dictorum quadraginta ſolidorum facienda in forma predicta ceſſare contingat; tunc idem domini prior & conventus Malvernie ac ſucceſſores eorum ad ſolucionem dictorum centum ſolidorum faciendam in forma predicta efficaciter perpetim teneantur. In quorum teſtimonium huic ſcripto bibertito ſigillum noſtrum commune, ac ſigillum dictorum dominorum prioris & conventus Malvernie alternatim & mutuo eſt appenſum. Dat. quoad nos prio-

priorem & conventum Wygorn. in capitulo noſtro quarto die menſis Auguſti, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptimo : & quoad nos priorem & conventum majoris Malvernie ſexto die menſis ejusdem anno domini ſupradicto.

Cata-

CATALOGUS

Chartarum Originalium,

Ordine quo ſcriptæ.

PRæſentatio W. de Ledebury electi in Priorem Pag. 1
Litera abſolutionis Prioris majoris Malverniæ pro contumacia contracta 2
Memorandum de viſitatione Epiſcopi 4
Litera domino Abbati Weſtmonaſterienſi *ib.*
Reſponſio Abbatis 6
Litera deprecatoria ad dom. Wellens. & Bath. Epiſcopum 7
Citatio Abbatis Weſtmonaſterieſis 9
Altera citatio 11
Reſponſe 12

Litera

Litera regia pro Abbate Pag. 12
Abſolutio Monachorum a ſententia excommunicationis 14
Pronuntiatio excommunicationis in Monachos 18
Pronuntiatio excommunicationis in fratrem W. de Were 20
Sententia excommunicationis contra invaſores bonorum Prioratus 21
Commiſſio abſolvendi P. de Wychio & J. de Alynceſtre 23
Memorandum de viſitatione Epiſcopi, & ejectione 24
Cuſtodia majoris Malverne commiſſa H. de Wynton 25
Acta de Theokesbury 27
Secunda citatio Abbatis Weſtmonaſterienſis 28
Excommunicatio contra falſo vendicantes juriſdictionem 29
Litera Epiſcopi J. Archiep. Cant. pro Monachis incarceratis 31
Petitiones Epiſcopi ad curiam Regis 33
Litera domino Antonio Beke 36
Litera dom. Bathon. & Wellenſi Epiſcopo 37
Interdictum Malverne 38
Abſolutio Alani de Cante excommunicati 43
Litera regia pro reſtitutione W. de Ledebury 44
Sequeſtrum eccleſiæ majoris Malverne 45

Inter-

Interdictum locorum Abbatis Weſtmonaſterienſis Pag. 45
Pœnitentia abſolutorum 48
Interdictum contra Abbatem Weſtmonaſterienſem 50
Litera domino Bathon. & Wellen. Epiſcopo 54
Litera Regis Theſaurar. & Baron. de Scaccario 57
Litera Regis Vicecom. Wygorn. pro Prioratu 59
Breve pro liberatione W. de Wikewan 61
Breve ſecundum *ib.*
Breve tertium 62
Litera Archiep. de viſitat. ſua in diœceſi Wygorn. 63
Viſitatio Archiep. Cant. in diœceſi Wygorn. 64
Viſitatio Archiep. craſtino Purificationis Mariæ 66
Litera deprecatoria pro liberatione W. de Wikewane *ib.*
Litera Epiſcopi procuratoribus ſuis in curia Romana 69
Litera altera 70
Petitiones Epiſcopis in curia Romana 71
Denuntiatio excommunicationis latæ in Mon. Malverne 75
Inhibitio curiæ Cant. pro Malvernia majori 76

Re-

Revocatio tuitionis in cauſa de Malverne ad examen dom. Cant. Archiepiſcopi 80
Litera regia de negotio Malverne apud Montgomery reformando 82
Litera Archiep. Cant. ſuper proceſſu Malverne 83
Sententia Archiep. lata contra Monachos 88
Bulla contra Malvernenſes 89
Alia fere ſimilis 91
Procuratorium Epiſcopi Wygorn. 92
Aliud 93
Aliud 94
Litera Archiep. Cant. excuſans abſentiam 95
Memoranda ſuper poſſeſſione juriſdictionis Epiſcopi habitæ apud majorem Malverne 96
Litera directa magiſtris W. Pikerel & R. de Vyenne 100
Confirmatio ſententiæ latæ in Malverne per Epiſ. Wygorn deinde per Archiep. 101
Litera Epiſcopi domino Regi 103
Litera Archiep. Cant. ſuper ratihabitione ſententiæ latæ contra Malverne 104
Pronunciatio excommunicationis latæ contra Monachos Malverne 107
Citatio contra communicantes cum excommunicatis Malverne 109
Monitio & citatio facta contra communicantes cum Malverne 111
Litera Epiſcopi ſuper viſitatione Malverne 113

Litera Hugoni Cardinali pro liberatione Prioris electi 114
Commiſſio in ſolidum Prioris de Sancte Fredeſwyde Oxon. 115
Commiſſio Prioris de Serteſeya non in ſolidum 116
Commiſſio contra communicantes cum excommunicatis Malverne 117
Alia Commiſſio ſuper eodem negotio 118
Archiepiſcopus contra ....Malverne 119
Alia, directa Suffraganeis provinciæ Cant. 123
Litera regia contra captionem 126
Litera Epiſcopi domino Regi 127
Litera deprecatoria Epiſcopo Londinenſi 129
Certificatio Epiſcopi Sarum de executione facta contra Malverne 130
Executio contra Malverne auctoritate Judicis delegati 131
Modus ſubtrahendi decimas excommunicatis 134
Abſolutio Willelmi Penbroke 135
Litera Regis ut excommunicati licite emant victualia 136
Litera domino Regi pro Malverne 137
Certificatio Officialis Wygorn. ſuper executione facta contra Malverne auctoritate Judicis delegati 139
Interdictum Judicum delegatorum contra Malverne 141
Ratificatio Prioris & Conventus Malverne ſuper compoſitione 142

Inductio

Inductio Epiſcopi Wygorn. in mancrium de Knythwyke per Regem 143
Exemptio majoris Malverne per Epiſcop. Wygornienſem 144
Charta de Knythwyke 146
Inductio Epiſcopi per Priorem & Conventum 147
Relaxatio ſententiæ latæ in Malverne per Epiſc. Wygorn. 148
Eadem in ſpecie 149
Inſpeximus Regis 150
Inrotulatio Knythwyke 151
Litera regia pro ſeiſina de Knythwyke 153
Litera Archiep. Cant. pro cauſa Malverne 155
Reſponſio ad Archiep. ſuper negotio de Malverne 157
Bulla pro obſervatione compoſitionis ſupradictæ 158
Venatio Chaceæ Malverne præſtanda annuo ſol. duos damos & duas damas Epiſcopo Wygornienſi 159
De eadem præſtatione annua 163
Confirmatio appropriationis eccleſiæ de Poywyke Priori & Conventui magnæ Malverne 164
Confirmatio appropriationis eccleſiæ deLangley 169
Obligatio unius Marcæ annuæ Prioris & Conventus magnæ Malverne 177
Charta Priori & Conventui majoris Malverne confecta ſub communi ſigillo Prioris & Con-

Conventus Wygorn. de diverſis particulis terrarum & tenementorum in Poywyke, Brannesford & Leye 172
Charta Johannis Swallewey pro officio cuſtodis boſcorum Epiſcopi infra Chaceam Malverne 176
Appropriatio eccleſiæ de Poywyke Priori & Conventui majoris Malverne 178
Procuratorium factum Ricardo de Frome de recipiend. inveſtituram eccleſiæ de Poywyke nomine Religioſorum *ib.*
Inveſtitura eccleſiæ de Poywyke facta Religioſis majoris Malverne 179
Inductio eorumdem Religioſorum in corporalem poſſeſſionem eccleſiæ de Poywyke 180
Charta Regis Henrici I. 182
Alia Charta ejuſdem 185
De fundatione Malvernenſis cœnobii 190
Decerpt. ex Leland. 191
De annua penſione Prioris de Malv. 192
De penſione ſede vacante 195

BINDING SECT. JUL 29

DA [illegible] Thomas, William
[illegible] Antiquitates Prioratus
[illegible] majoris Malverne in agro
Wigorniensi

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 05 06 01 011 3